



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



Ph. Jp. 854 Ex libris  
Joannes Candler Mon.  
Anno 1709.

Ficke

Titius

**<36602344980017**

**<36602344980017**

**Bayer. Staatsbibliothek**

Phil. Logica. Instit.

Philos. Logica. Instit. 773.

ARS

COGITANDI,

*sive.*

SCIENTIA COGI-  
TATIONUM COGLI-  
TANTUM,

COGITATIONIBUS NE-

CESSARIIS INSTRUCTA ET  
APEREGRINIS LIBE-

*Ad novitatem Ratisbonensem*  
*et. Gr. Cum J. B. Stegm.*

Summariis Capitum & rerum  
Indice,

A U T O R E

G OTTLIEB G ERHARD  
T ITIO.

---


L I P S I A E ,

Sumpt. Hared. LANCKISIANORUM,  
Excudit Jon. Heinricus RICHTERUS,

M. DCC. II.

*Ex libris Ioan: Kandler:*

Bayerische  
Staatsbibliothek  
MÜNCHEN



## LECTORI BENEVOLO.



Nter alia Objecta,  
quæ Menti huma-  
næ offeruntur, est  
etiam ipsa Mens,  
hæc enim sæpe se-  
ipsam considerat  
idque dupli modo, vel enim *de na-  
tura sua est sollicita*, dum sui ortum,  
sedem, substantiam & actionum sua-  
rum formalitatem investigare & ex-  
plicare nititur, qua quidem in re ni-  
hil illa ignorat, nisi omnia: Vel, iis  
missis, *se cogitantem seu in objectis  
concipiendis occupatam contemplatur*,  
dum scil. imaginum illarum, quas  
sibi de rebus oblatis format, indo-  
lem, veritatem, varietatem & ordi-  
nem scrutatur, eo fine, ut iis cogni-  
tis,

## PRÆFATIO.

tis, eo rectius deinde circa singula  
objecta, cogitationibus uti queat,  
qua in re cognoscenda paulo felici-  
or est mens humana, nec enim hic  
adeo cæcutit, sed operationes suas,  
ideasque per contemplationem in se  
excitas, maximam partem satis in-  
telligit. Porro sicut ex aliarum re-  
rum contemplatione, intellectus  
cognitione aliquæ imbutitur, quæ  
scriptis comprehensa, Disciplinam  
aliquam efficit, ita etiam notitia,  
quam Mens de se ipsa habet, iisdem  
constituendis materiam suggerit, &  
prior quidem, quam memoravimus,  
si modo aliqua subest, Physicæ vel  
Pneumaticæ partem constituit, ex  
posteriori vero peculiaris enata est  
Disciplina, quam *Logicam* vocant,  
cumque cognitionum propriarum  
notitia, ad cogitationes in singulis  
objectis eo melius dirigendas, utilis  
omnino sit, adeoque Logica Instru-

men

mentum instrumentorum vulgo existimetur, hinc in ea excolenda strenue sudatum est, ingensque libellorum Logicorum numerus, successu temporis prodiit, adeo ut, cum non rita pridem Periodus Calendario-graphica in Orbe literario dominaretur, *DN. JACOB FRIDÉRICH REIMMANN, SCHOL. MARTIN. HALBERST. RECTOR,* etiam *Calendarium Historico-Criticum de Logica*, curiosi seculi censuræ, anno 1699, submiserit, in quo Ille ab Adamo, usque ad Seculi decimi septimi, proxime elapsi, initium, Logicæ originem, fata & scriptores percensuit, in Præfatione insimul fassus, sive vel in sua Bibliotheca ducentos scriptores Logicos adhuc possidere, qui omnes ad laudatum seculum decimum septimum pertineant, qui que novo Calendario, ad nostra usque tempora texendo, si Lectores favent,

ant, materiam præbere possint, quod  
an secutum sit, mihi hactenus non  
constat. Solent autem Scriptores  
Logici certos Duces vel Antesigna-  
nos sequi, ab iisque adeo in certa ge-  
nera separari. Debebant potius o-  
mnes ad eundem scopum tendere,  
artemque hanc non ex sectæ suæ  
hypothesibus, sed Objecti indole ex-  
colere, quod tamen hactenus factum  
mihi non videtur, neque enim pro-  
positum tenent, sed potius necessa-  
ria omittunt, aliena inferciunt, pro-  
pria vero non satis recte excolunt,  
vel etiam tricis otiosis eadem defor-  
mant, id quod pronunciare non ve-  
reor, licet plerosque non viderim,  
vel etiam videre cupiam, nam scri-  
ptionis genus præcipuæque hypo-  
theses ex paucis etiam intelligi pos-  
sunt. Quamvis vero ex recentio-  
ribus nonnulli à vulgari scribendi  
genere abierint, Logicamque alio  
omni-

omnino habitu , quam quo vulgo  
compareret , instruxerint, attamen  
nec hos scopum attigisse , omnino  
existimo. Quæ cum ita mihi visa  
sint, subiit animum , proprias de *ar-*  
*te Cogitandi* cogitationes consignan-  
di, disciplinæque Hujus ambitum  
indolemque, citrâ veritatis præjudi-  
cium aliorumque opprobrium, o-  
stendendi, lubido. Explicata igi-  
tur Logicæ ex meis hypothesibus na-  
tura, deinde existimavi, nihil in ea-  
dem considerari debere quam men-  
tis operationes, ad has autem decla-  
randas, uti omnino materia vicaria,  
ex hac vel illa disciplina pro lubitu  
desumenda, opus est, ita certum ali-  
quod objectum reale hinc penitus  
excludendum esse arbitratus sum.  
Circa laudatas autem mentis Opera-  
tiones summatim indoles , veritas ,  
falsitas , varietas & ordo nobis ex-  
pendenda videntur, in his ergo capi-  
tibus

tibus explicandis universus tractatus  
occupatur. Ausim dicere, me omissa  
suppleuisse, aliena expunxisse ac re-  
tenta varie interpolasse, ut ignoran-  
tiā patidæ cujusdam cœscriptionis  
facile evitare velim. In primis de  
veritate cogitationum ac primis co-  
gnoscendi principiis distincte disse-  
rui. Est hæc res vulgaribus libellis  
logicis penitus incognita, Recentio-  
res quidem eam attingunt, sed per-  
spicue satis tradere mihi non viden-  
tur. In doctrina propositionum ac  
speciatim, conversionis & oppositio-  
nis, multa observavi, ac vulgarem  
doctrinam penitus fere everti. Syl-  
logismorum tam simplicium quam  
compositorum explicatio vulgaris,  
quam jejuna & superficiaria sit, in  
loco proprio ostendi, substituta do-  
ctrina solidiori, in primis docui,  
quod speciales regulæ syllogisticæ  
nullo nitantur fundamento, & quod

potius in unaquaque figura , quovis modo legitime queat concludi , id quod vulgaribus præjudiciis obnoxii , nimis paradoxon arbitrabuntur. Quoad Methodum , veram ejus normam , fundatum & habitum demonstravi ac ineptias methodicas peculiari disquisitione deinde illustravi. Processum disputandi , qui ad methodum pertinet , ac ab aliis prolixè satis expositus est , variis observationibus à me esse auctum ac dilucidatum , æqui rerum æstimatorum , spero , non negabunt. Per modum appendicis adjeci duo capita , in quorum altero recensui ea , quæ tamen ab antiquis quam recentibus Scriptoribus ad Logicam referuntur , mea tamen sententia ad illam non pertinent , inter illa quoque occurrit doctrina de prædicabilibus & Prædicamentis , quam in se etiam minus accuratam esse , sed variis la-  
bo-  
a 5

## PRAEFATIO.

borare defectibus, insuper ostendi.  
In altero delineavi disciplinam illam generalem, quam ad excolendas speciales, præter Logicam, necessariam esse arbitror. In eo, digressione prolixiori *PETRI POIRETTI* libros de *Eruditione solidâ, superficiaria & falsâ* recensui de iisque sententiam meam proposui, quod institutum nec ingratum erit Lectori eruditio, nec à scopo alienum eidem videbitur, cum enim scriptor ille mentis humanæ vim nimis deprimat, eique stuporem inducere conetur, quo ita stupefactæ, ægræ suæ mentis deliria eo majori cum successu obtrudere queat, ideo in arte cogitandi, Cogitationum Principium ab impetionibus fanaticis vindicasse, non inopportunum censeri potest. Plura non addo, cum nec ea, quæ proposui, alio fine adduxerim, quam ut rationem suscep-

ptæ

ptæ scriptionis redderem, ac, quare tanta libellorum logicorum copia, quæ diluvii instar orbem literarium inundavit, ab instituto me non dimoverit, ostenderem. De Scriptoribus, quibus usus sim, non opus est multa addere, cum enim non tam aliorum sententias congerere, quam proprias poti⁹ consignare voluerim, de magno eorum numero parum fui sollicitus. Ex *Peripateticis* adhibui nonnunquam *B. JACOBI THOMASII & Dn. ULMANNI*, ex *Cartesianis*, *AUTORIS ARTIS COGITANDI*, ex *recentioribus Dn. WEISII & CHRISTIANI THOMASII* Scripta logica, quæ adeo unice fere in hoc tractatu allegata reperiuntur. *ARISTOTELEM & CARTESIUM* nunquam legi, utriusq; tamen sententias nonnullas ex asseclis intellexi, quæ admonitio eo pertinet, ut, si forte aliquam eorum sententiam adduxero,

## PRÆFATIO.

nec tamen satis ex ipsorum mente,  
id mihi vitio non vertatur, neque e-  
nīm aliorū mentem exacte referre,  
sed sententiis aliis pro meo lubitu  
uti volui. De cætero exemplis ple-  
rumque juridicis usus fui, hæc enim  
uti mihi magis familiaria fuerunt, ita  
nec aliis eadem omnino displicitura  
putem, sunt enim magis ad captum,  
quam exempla mathematica, vel ex  
simili disciplina de prompta, moralia  
enīm vel juridica ejus sunt indolis, ut  
a quovis , qui recta saltem ratione  
gaudet, facile intelligantur, quod si  
tamen alicui displiceat illa, poterit  
eadem sine conscientiæ scrupulo  
præterire. Eam objectionem non  
metuo , quod falcam messi alienæ  
immiserim, cum Logica à studio Ju-  
ridico , cui alias operas meas quales  
quales dicavi, maximo disjuncta sit  
intervallo, nam cuivis homini inte-  
grum est, in excolendis disciplinis,  
vires

vires suas periclitari, ut ridiculū sit, plus juris tribuere dignitati cuidam vel muneri, indecoro sāpe artificio, ne quid gravius dicam, obtentis, quam humanitati; Imo si omnino hanc rem ex regulis Opificum, aestimare velis, Logica tamen nulli peculiariter videtur assignari posse, cū enim ad omnes alias Disciplinas sese extendat, non apparet, quare illi, qui iis dediti sunt, ex alieno arbitrio vivere vel ab ipsorū ore pendere præcise debeant, nec illis licitū sit, commune instrumentum suo excolere arbitratu. Decætero uti aliorum judicio submitto, recte an secus hæc scripta sint, ita id intrepide assero, meditationes has ab aliorum, in primis Peripateticorum, placitis longissime abire, & Logicam hanc peculiari plane ratione esse concinnatam, ut proprio illo habitu omnibus placere posse putem, diversa ta-

## *PRÆFATIO.*

men ratione, aliis, ut nonnulla probent, aliis forte, ut pleraque refutent adeoque ingenium circa eam ostentent, nec dubitem, quin illa multis magnum debitura sit ludibrium. Vale.

Lips. mens. Decemb. 1701.



## **INDEX**

# INDEX CAPITUM.

## CAP. I.

- I. De Arte Cogitandi s. scientia Cognitionum cogitantium.
- II. De Cognitionibus humanis in genere.
- III. De Cognitionum humanarum veritate.
- IV. De Cognitionum humanarum falsitate.
- V. De Cognitionum humanarum varietate, ac in specie, de Prima Mentis Operatione.
- VI. De secunda Mentis Operatione seu idearum diversarum collatione.
- VII. De Propositionum affectionibus.
- VIII. De Definitione & Divisione.
- IX. De tertia mentis operatione seu Syllogismo.
- X. De Figuris & modis Syllogismorum.
- XL De

## *INDEX CAPITUM.*

XI. De varietate Syllogismorum Simplicium.

XII. De Syllogismo Composito.

XIII. De Syllogismo Vero & falso.

XIV. De Cogitationum humana-  
rum Ordine s. Methodo.

XV. De ineptiis methodicis.

XVI. De Processu Disputandi.

XVII. De fallaciis ac erroribus Di-  
sputatoriis eorumque præcauti-  
one.

XVIII. De his quæ vulgo ad Logi-  
cam referuntur, nec tamen eo  
pertinent.

XIX. De habitu Disciplinæ genera-  
lis, præter Logicam, ad excelen-  
das disciplinas speciales, necef-  
sariæ.

SUM-

# SUMMARIA CAPITUM.

## CAP. I.

In hamine datur facultas cogitandi  
 §. 1. ex cogitationibus oriuntur Discipline  
 §. 2. in specie Logica seu Ars co-  
 gitandi §. 3. quæ habitualiter & sys-  
 tematice supponitur §. 4. pro Scientia  
 accepta quid? §. 5. ejus Genus §. 6. in-  
 baret illamenti §. 7. ejus impedimenta  
 §. 8. versatur illa circa cogitationes  
 §. 9. quo sensu? §. 10. 11. 12. Syllogis-  
 mus non est Logices objectum adequa-  
 tum §. 14. 15. 16. 17. nec res omnes  
 pro ejus objecto recte habentur §. 18.  
 19. 20. 21. finis Logicae est certior ve-  
 ritatis perceptio §. 22. 23. non Syllogis-  
 mus §. 24. Logica pro habitu accepta  
 quid? §. 25. ejus usus §. 26. exinde  
 oritur Logica systematice supposita,  
 quæ definitur §. 27. ejus finis §. 28.  
 significantissime dicitur Scientia cogi-  
 tationum cogitantium §. 29. de aliis  
 deno-

## SUMMARIA

---

denominationibus judicium §. 30. 31.  
Habitudo Logice intuitu aliarum di-  
sciplinarum §. 32. non est disciplina  
puerilis §. 33. 34. 35. 36. 37. partitio se-  
quentium §. 38. 39.

### CAP. II.

Cogitatio quo sensu ad Artem cogi-  
tandi pertineat §. 1. quid sit §. 2. ideæ  
natura §. 3. animatio & pura in-  
tellectio differat §. 4. 5. verba illam  
regulariter comitantur §. 6. vel per  
sensus, vel sine his, ideæ excitan-  
tur §. 7. quod ultimum amplius con-  
firmatur §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.  
de controversia illa, epicrisis §. 17.  
cogitationes etiam sine sermone fie-  
ri possunt §. 18. 19. sed nec in hac  
controversia summa rei posita est  
§. 20.

### CAP. III.

Veritas cogitationum quid? §. 1. non  
est fortuita §. 2. est probabilis & certa  
§. 3. haec indemonstrabilis & demon-  
stra-

## CAPITUM

strabilis , ab objecto veritas est rerum  
et sententiarum §. 4. ex rebus et disciplinis realibus hauritur , modum  
vero acquirendi docet Logica §. 5. mo-  
dus ille non absolute necessarius §. 6.  
quandoque etiam veritati ejus in-  
quisitio obfuit §. 7. explicatu non est  
adeo difficilis §. 8. ad duo capita  
ejus explicatio redigitur §. 9. capaci-  
tas verum acquirendi , menti inest ,  
sed demonstrari nequit §. 10. quod con-  
tra scepticos firmatur §. 11. 12. 13. 14. 15.  
16. 17. 18. 19. adducto vulgati illius :  
cogito , ergo sum , vero sensu et præ-  
rogativa §. 20. 21. mens per principia  
cognoscendi , de veritate certa reddi-  
tur §. 22. que quadruplicia §. 23. Prin-  
cipium judicantis est : quicquid clare  
& distincte percipio , illud est ve-  
rum §. 24. cuius sensus et habitus  
distinctius evolvitur §. 25. 26. 27. 28.  
29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. ejusque  
veritas ab objectionibus vindicatur  
§. 38.

## SUMMARIA

§. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.  
48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Princi-  
pia præparantia duo sunt, nempe  
dubitandum esse §. 57. quod declara-  
tur §. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. &  
attentemeditandum §. 66. 67. Fux-  
ta hec mens reperit veritates inde-  
monstrabiles §. 68. & demonstrabiles  
§. 69. circa quas tertio occurruunt. Pri-  
cipia probantia §. 70. que declaran-  
tur §. 71. 72. 73. 74. 75. 76. Ultimo lo-  
co occurrit principium defendens §.  
77. quo referri debet vulgatuin illud:  
impossibile est, idem esse & non  
esse §. 78. de cuius habitu & necessi-  
tate, epicrisis §. 79. 80. comparatio  
illorum principiorum quoad discipli-  
nas §. 81. 82. aliorum de primis cogno-  
scendi principiis sententie indicantur  
§. 83. in iis, que autoritate aliena  
credimus, principia allata, non circa  
veritatem, sed autoritatem exami-  
nandam occurruunt, §. 84. 85. limita-

## CAPITUM

6. 47.  
rincir-  
empe  
clarar-  
. §,  
Jux-  
inde-  
biles  
Prin-  
caran-  
no lo-  
ens §  
illud:  
non  
cessi-  
ratio  
ipli-  
gnor-  
ntur  
ienca  
irca  
mi-  
tar-  
tio

tio §. 86. ulterius quo ad fidem divi-  
nam & humanam id declaratur §. 87.  
88. 89. 90. 91. quousque aliis credere  
possimus vel debeamus §. 92. 93. 94. 95.  
quomodo in futuris cognoscendis, illis  
principiis utendum §. 96. Veritas ex  
rebus & disciplinis realibus petenda  
§. 97. 98. quod non est considerationis  
Logica & §. 99. ex disciplinis realibus  
materia meditandi quoque existit, nec  
de meditandi regulis vel prima objecto  
valde laborandum §. 100.

## CAP. IV.

Falsitas cogitationum quid? §. 1.  
pertinet ad res concipiendas non pro-  
ducendas §. 2. 3. 4. 5. non est fortuita  
§. 6. De cetero est probabilis vel cer-  
ta, hec indemonstrabilis vel demon-  
strabilis §. 7. rerum vel sententia-  
rum §. 8. debebat illa ab hominibus  
abeffe, sed frequentissime adest §. 9.  
iujus rei cause strictissimè exponuntur  
§. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 27.

## SUMMARIA

22. 23. 24. 25. 26. 27. in quantum veritas odiosa sit, ostenditur §. 28. 29. 30. 31. aliquando suo merito odium meretur §. 32. 33.

### CAP. V.

Cogitationum varietas dependet à diversa ad Objectum applicatione, quod declaratur §. 1. 2. vera cogitationis proprium, ut sit clara & distincta §. 3. sicut falsa, ut sit obscura & confusa §. 4. 5. 6. obscuritas tamen circa veram aliquando adest §. 7. Postea varietas cogitationum à diversa objecti consideratione existit, quo respectu tres mentis operationes recte assertuntur §. 8. est hæc vulgaris doctrina sufficiens, necessaria ac numero ternario præcise concludenda §. 9. 10. 11. 12. 13. tres illæ operationes declarantur §. 14. ac primæ veritas contra dissentientes ostenditur §. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. datur in ea etiam veritas & falsitas §. 22. an recte illæ ad rerum exten-

## CAPITUM

---

existentiam referatur §. 23. 24. idearum, ex prima mentis operatione resultantium, varietas §. 25. 26. vulgo de prima mentis operatione acturi, mate ad voces delabuntur vel voces et conceptus confundunt §. 27. 28. 29. 30. 31. 32. vel alia ratione errant §. 33. 34. 35. 36. 37.

## CAP. VI.

Ex idearum collatione oritur propositio §. 1. que ad Logicam recte vulgo refertur §. 2. ejus natura et partes §. 3. 4. 5. 6. de vulgaribus propositionum divisionibus epicrisis §. 7. 8. quadruplex divisio constituenda nobis videtur §. 9. propositio vera et falsa §. 10. affirmans et negans §. 11. illa habet subinde incidentem negationem, hinc enata est propositio Infinita, appellatione minus congrua §. 12. 13. 14. haec gaudet aliquando affirmatione incidente, quod vulgo non adeo attendunt §. 15. 16. 17. circa sensum et

## SUMMARIA

Et habitum externum propositionum,  
affirmativarum & negativarum non  
nulla monita §. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.  
25. ex quibus errores aliquot refel-  
luntur §. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. ne-  
gativarum veritas ob defectum copi-  
ae non vacillat §. 33. Propositionum  
divisio à quantitate §. 34. de signis  
non valde laborandum §. 35. estima-  
tar quantitas ex subjecto, sed nec  
predicatum negligendum §. 36. hoc  
in affirmantibus plerumque est parti-  
culare §. 37. 38. in negantibus univer-  
sali §. 39. 40. ratio diversitatis §. 41.  
42. 43. aliquando ibi universale, hic  
particulare est §. 44. 45. Propositiones  
sunt simplices & compositae §. 46. illae  
pure & complexe §. 47. que poster-  
iores amplius declarantur §. 48. 49.  
50. 51. 52. ad eas etiam pertinent mo-  
dates & exponibiles §. 53. quarum  
doctrina vulgariter est partitam ieiunia-  
na §. 54. 55. 56. penitior exanim exca-  
pli-

## CAPITUM.

plicatio §. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65.  
66. 67. 68. Propositiones composite §.  
69. 70. 71.

## CAP. VII.

Propositionum affectiones vulgares  
§. 1. Conversio quid? §. 2. est uniformis §. 3. 4. 5. 6. vulgo triplicem faciunt §. 7. sed conversio per accidens merito rejicitur §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. erroris vulgaris origo §. 14. 15. 16. pecuniaris error notatur §. 17. 18. conversio per contrapositionem expenditur et rejicitur §. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. monitum generale quoad conversionem §. 38. Subalternatio quid? §. 39. ejus nulla utilitas §. 39. 40. Aequipollentia quid? §. 41. que vulgo traduntur, sunt particularia §. 42. Opposizio quid? et quatuorplex §. 43. rectius in apparentem et veram dividitur §. 44. ad illam pertinet etiam vulgaris subcontraria §. 45. vera est vel contradicte-

b

dicto-

## SUMMARIA

dictoria vel contraria §. 46. utraque  
aliter, quam vulgo fit, declaratur §.  
47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58.  
59. 60.

### CAP. VIII.

Inter propositiones eminent Definitio & Divisio §. 1. Definitio est nominis & rei, illa communis & propria §. 2. qua arbitraria §. 3. Definitio realis definitur ac dividitur §. 4. ejus difficultas §. 5. partes §. 6. 7. 8. facultas definiendi ex accurata cognitione oritur §. 9. regulæ adjuvantes vulgares cum epicrisi §. 10. 11. 12. propria sententia §. 13. 14. bona definitionis requisita §. 15. qua per opposita illustrantur §. 16. 17. 18. 19. Divisio quid? §. 20. ejus partes & scopus §. 21. Totum quotuplex ex sententia aliorum §. 22. 23. 24. qua examinatur §. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & propria §. 33. bona divisionis requisita §. 34. qua distinctius declarantur

tur §. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43.  
44. 45. 46.

CAP. IX.

Tertia mentis operatio §. 1. demonstratio que probabilitas audit §. 2. in illa apex scientie humanae non consistit §. 3. quo sensu in demonstrandi principiis non detur processus in infinitum §. 4. distincta trium idearum collatio, dicitur Syllogismus §. 5. cuius consideratio in primis ad Artem cogitandi pertinet §. 6. nec eadem quis erubescere debet §. 7. Syllogismus simplex quid? §. 8. definitio Aristotelis §. 9. ut instrumentum scientiae semper considerari debet §. 10. sic recte intelligitur ejus materia seu termini & propositiones §. 11. 12. 13. 14. in quibus explicandis varie errant Peripatetici §. 15. 16. 17. 18. 19. erroris origo §. 20. 21. Forma Syllogismi §. 22. quoad conclusiones negativas §. 23. 24. 25. 26. 27. & affirmati-

## SUMMARIA

mativas ostenditur §. 28. 29. 30. medius terminus quo sensu universalis esse debeat §. 31. dictum de omni & nullo §. 32. merito rejicitur §. 33. Regula: ex puris negativis nihil sequitur, bene se habet §. 34. 35. 36. sicut etiam altera: non debent esse plures termini quam tres §. 37. 38. 39. cum qua coincidunt haec: ex puris particularibus nihil sequitur: vel: medium bis particulariter summi nequit §. 40. 41. 42. otiosa regulae sunt: conclusio sequitur partem debiliorem, sed: medius terminus non ingrediatur conclusionem §. 43. 44. quando ex premissis conclusio non sequitur §. 45.

## CAP. X.

Forma Syllogismorum essentialis  
§. 1. Sed accidentalis, quam exhibent vulgaris figuræ, tres vel quatuor §. 2. 3. 4. cum suis modis §. 5. non opus illis

# CAPITUM.

illis est §. 6. cum Syllogismorum bonitas ex forma essentiali satis intelligi queat §. 7. ad quam etiam merito Tirones ablegandi §. 8. modi vulgares singulis figuris non assignandi §. 9. sed potius quovis modo, in quavis figura concludi potest §. 10. quod exemplo ostenditur §. 11. 12. 13. hinc omnes regulæ speciales falsæ sunt §. 14. quod tam in genere §. 15. quam in specie probatur §. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. cum monito quo ad usum diverse concludendi rationis §. 37. 38. Reductio ex dictis declaratur §. 39. pertinet tantum ad premissas §. 40. ejus lex §. 41. finis & utilitas §. 42. In vulgari reductione quedam benefice habent §. 43. pleraque vero, vclut ex falsis hypothesibus profecta & tricis scatentia, rejici debent §. 44. 45. 46.

## SUMMARIA

---

### CAP. XI.

*Syllogismus simplex est vel incomplexus vel complexus §. 1. utriusque definitio §. 2. Et posterioris exempla §. 3. 4. 5. 6. 7. eo etiam pertinent modales Et exponibiles §. 8. qui quomodo facile resolvi queant, exemplis docetur §. 9. 10. 11. 12. adductis non nullis erroribus §. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Et rejecto Syllogismo exppositorio §. 21. 22. additoque, quoad Syllogismos obscuros, monito generali §. 23. Syllogismus porro est vel perfectus vel imperfectus §. 24. remotus Et propinquus §. 25. cum epicrisi de illius usu §. 26. directus Et indirectus §. 27. illius §. 28. 29. 30. Et bujus. ulterior explicatio §. 31. 32. 33. 34. 35.*

### CAP. XII.

*Syllogismus compositus est duplicitatis generis §. 1. ad primum pertinet copulativus §. 2. cuius indoles Et usus*

usus amplius declaratur §. 3. 4. 5. 6.  
disjunctivus §. 7. qui explicatur §.  
8. 9. 10. 11. dilemma §. 12. quod ex-  
ponitur §. 13. 14. 15. 16. Syllogismus  
conditionalis qui definitur §. 17. am-  
pliusque declaratur §. 18. 19. non ha-  
bet peculiarem figuram §. 20. Et qui-  
uis conditionalis categorice potest pro-  
poni §. 21. 22. 23. 24. male vulgo Syl-  
logismi memorati definiuntur §. 25.  
frustra in conditionalibus due figu-  
rae afferuntur §. 26. 27. quod specia-  
lius deducitur §. 28. 29. 30. 31. in-  
epiae Syllogismorum disjunctivorum  
notantur §. 32. 32. usus disjunctivo-  
rum Et conditionalium non est reji-  
ciendus §. 34. ratio quare Tirones  
conditionalibus saepe utantur §. 35. 36.  
Syllogismi assumtivi §. 37. merito re-  
jiciuntur §. 38. quod probatur §.  
39. 40. 41. 42. 43. 44. observatio+  
nis hujus utilitas §. 45. aliud exem-  
plum Syllogismi assumtivi examina-  
tur

tur §. 46. 47. Ad secundum genus  
compositorum Syllogismorum pertinet.  
Sorites §. 48. quomodo idem resol-  
vendus §. 49. exemplis hoc declara-  
tur §. 50. 51. 52. 53. 54. 55. adducta  
rei bujus ratione penitiori §. 56. 57.  
quomodo vulgo sorites resolvi jube-  
ant, ostenditur §. 58. 59. 60. cum epi-  
cristi §. 61. 62. sorites rectius omittitur  
§. 63. ac à sophistis. introductus vide-  
tur §. 64.

CAP. XIII.

*Syllogismus est verus aut falsus.*  
§. 1. 2. Et quidem vel ratione for-  
me, vel materiae §. 3. 4. 5. uterque  
est certus vel probabilis §. 6. de vero,  
ratione materiae, in Logica non agen-  
dum §. 7. licet vulgo de demonstrati-  
vo Et topico prolixè agant, que à ποσ-  
δίουσα sunt §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.  
16. De Syllogismo falso in Logica re-  
ste agitur §. 17. ejus varietas §. 18.  
fallacie intra vel extra dictionem §.

## CAPITUM.

19. non recte bac sibi opponuntur §.  
20. 21. 22. 23. de fallaciis que circa for-  
mam occurruunt §. 24. 25. circa ma-  
teriam occurrentes, quadruplicis vi-  
dentur generis. §. 26. primi gene-  
ris recensentur §. 27. 28. secundi  
§. 29. 30. 31. tertii & quarti §. 32. 33.  
34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. quomo-  
do fallaciis occurrentum sit, osten-  
dilur §. 43. 44. 45. 46. 47. 48.

## CAP. XIV.

Ordo cogitationum §. 1. duplex est,  
scil. methodus & processus disputan-  
di §. 2. methodus quid? §. 3. est uni-  
versalis & particularis §. 4. omnis  
ex objecto oritur §. 5. hoc igitur di-  
ligenter expendendum §. 6. in rebus  
incognitis non est methodus §. 7. 8.  
9. 10. requisita bona methodi §. 11. de-  
bet continere necessaria §. 12. hinc  
communia & nimis trita omittenda  
§. 13. 14. multo magis aliena §. 15.  
necessaria. vero adducenda §. 16. ad

b 5

ma-

## SUMMARIA

materiam iugur dijudicandam scopus considerari debet §. 17. quod exemplo iuridico illustratur §. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. bona methodus res naturali ordine debet exhibere §. 30. nec tamen ideo est uniformis §. 31. 32. 33. 34. porro debet esse perceptu facilis §. 35. 36. 37. 38. Fuxta has leges, integre Discipline & themata particularia excollenda sunt §. 39. prius exemplo iuris publici Romano-germanici §. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. feudalis §. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Ecclesiastici §. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. nec non artis cogitandi presentis declaratur §. 64. posterius exemplo nonnullarum disputationum juridicarum illustratur §. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. necessitas boni ordinis eodem argumento probatur, quo veritatis inquisitio necessaria ostenditur §. 76. ac simili.

## CAPITUM.

Iz dicta declaransur §. 77. 78. 79.  
80.

### CAP. XV.

Ineptiæ methodice §. 1. ea pertinet  
distinctio methodi ordinis §. 2. re-  
gula : quod à notis ad ignota sit  
procedendum §. 3. 4. 5. aliquo et-  
iam modo metastasis eisc. àλλο γένος  
§. 6. 7. imprimis vero methodus Syn-  
theticæ & analyticæ §. 8. circa quam  
denominatio est incongrua §. 8. 9. 10.  
et. 12. 13. gravior ineptitudo, quod si-  
ze materia sit efficta §. 14. 15. 16. in  
applicatione , methodus illa dispa-  
ret §. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.  
tate interim eadem diffusa est , in-  
specie ad Jurisprudentiam §. 26. 27.  
in qua insuper alia methodus inepta  
occurrit §. 28. methodus analyticæ  
frustra inventionis, & synthetica,  
doctrina dicitur §. 29. 30. sicut etiam  
methodus & modus acquirendi veri-  
tatem, male confunditur §. 31. quæ-  
b 6 stio,

stio, quid, minus recte questione,  
an premititur §. 32. 33. 34. ad ineptias methodicas non pertinet me-  
thodus causalis §. 35. bene tamen  
ejus abusus §. 36. qui declaratur §.  
36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45.  
46. nonnulli methodum illam ver-  
bis rejiciunt, re probant §. 47. Sum-  
ma regula de ineptiis methodicis  
§. 48.

CAP. XVI.

Legitima contradictionis scopus est  
veritas §. 1. qua generalis & specialis  
§. 2. quoad illam, ad principium, ex  
qua cetera fluunt, respiciendum §. 3.  
duplex contradicendi ratios. 4. ma-  
teria, tempus & locus. instituenda  
contradictionis presupponuntur §. 5.  
Disputatur vel viva voce, vel in  
scriptis §. 6. duplicitis hujus modi con-  
paratio §. 6. 7. 8. de illo à variis a-  
etiam, cum monita §. 9. disputa-  
tio viva voce facta, quid? §. 10. est  
colla-

## CAPITUM.

collatio amica §. 11. 12. confert duas sententias §. 13. instituitur à duobus §. 14. 15. 16. 17. qui apti esse debent §. 18. finis est vel secundarius vel primarius §. 19. utriusque habetur ratiæ §. 20. 21. 22. 23. per verfe disputant, qui errores defendunt, quod tamen saepe fit §. 24. causa hujus rei §. 25. ejus excusatio §. 26. veritati non adeo nocet §. 27. disputatio sententias legitime conferat §. 28. binc de officiis disputantium differitur §. 29. que ex scopo estimari debent §. 30. juxta morem bodiernum, disputatio actibus accessoriis & principaliibus constat §. 31. illorum varietas §. 32. & summa regula §. 33. 34. bodie disputationes Syllogisticè instituuntur §. 35. 36. disputantium officia sunt diversa §. 37. alia erga officium obseruantem, alia negligentem §. 38. illorum regula communes §. 39. 40. 41. speciales, pro diversitate conflictu-

## SUMMARIA

um §. 42. 43. 44. 45. 46. quoad preparationem; Opponenti §. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. Respondenti §. 56. 57. iterum Opponenti §. 58. 59. 60. 61. 62. Respondenti observanda §. 63. Quoad conflictum ipsum, Respondens distincte respondere debet §. 64. responsionis diversitas §. 65. 66. 67. 68. 69. 70. ejus applicatio ad objectionem §. 71. indirectam, triplex est §. 72. prima §. 73. secunda 74. 75. 76. 77. 78. 79. tertia §. 80. 81. directam, fit concedendo §. 82. 83. absolute §. 84. 85. 86. limitate negando §. 87. vari alimitationem applicandi ratio, ex sententia THOMASII §. 88. 89. 90. 91. 92. 93. cum epicrisi §. 94. 95. Et propria plenissime ostenditur §. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. cum monito quoad usum §. 125. Post datam responsionem quendam officium

## CAPITUM

Opponentis §. 126. quoad objecti-  
onem indirectam §. 127. directam §.  
128. 129. 130. ac continuandam con-  
tradictionem §. 131. 132. 133. quo re-  
spectu Respondens quoque instruitur  
§. 134. 135.

## CAP. XVII.

De officio disputantium erga offi-  
cium negligentem §. 1. an neglectus  
ille, licentia recte dicatur? §. 2. 3. 4.  
de cetero. Et neglectus, Et officium  
circa illum, ex doctrina cap. pre-  
intelligitur §. 5. summa regula §. 6.  
conclusiones quoad neglecta curialia  
§. 7. officia communia §. 8. 9. in spe-  
cie Opponentis §. 10. 11. 12. 13. Respon-  
dentis §. 14. 15. iterum Opponentis §.  
16. (in quantum probationem recusa-  
re liceat §. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.  
25.) 26. 27. Respondentis §. 28. 29. rur-  
sus Opponentis §. 30. 31. 32. utriusque  
§. 33. cum monito quoad usum Et ab-  
usum §. 34. praecepta exercitio fir-  
man-

## SUMMARIA

mantur §. 35. disputationum viva voce habendarum utilitas §. 36. dicta bactenus in quantum ad disputationes scriptas pertineant §. 37. 38. 39. an eas inire vel diu continuare liceat, questio moralis est §. 40.

## CAP. XVIII.

Ad artem cogitandi multa incongrue referuntur §. 1. generalis borum definitio §. 2. In specie male contrahitur doctrina prædicabilium, Anteprædicamentorum, Prædicamentorum & Postprædicamento rum §. 3. 4. 5. ipsa etiam doctrina in se variis laborat defectibus §. 6. quod speciatius deducitur §. 7. 8. 9. 10. quo ad prædicabilia §. 11. 12. 13. 14. 15. anteprædicamenta §. 16. 17. 18. 19. 20. prædicamenta §. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. Postprædicamenta §. 34. 35. cum summaria repetitione §. 36. quomodo defectus illi emendari debeant, ostenditur

§. 37.

# CAPITUM

§. 37. 38. 39. laborisque hujus utilitas  
§. 40. & abusus notatur. §. 41. 42.  
Porro ad Logicam non recte refertur  
disquisitio de nomine & verbo, de  
vocum suppositione & oratione §.  
43. 44. 45. idem dicendum de for-  
mulis distinctionum §. 45. locis to-  
picis §. 47. interpretatione recen-  
tioribus probata §. 48. quod contra  
dissentientes deducitar. §. 49. 50. 51.  
52. 53. 54. 55. 56. Neque in Logica a-  
gendum de cogitationum moralita-  
te §. 57. de eruditione §. 58. de  
homine & mente humana §. 59. nec  
de prudentia meditandi §. 60. co-  
gitata proponendi §. 61. cum moni-  
to quoad rem ipsam §. 62. aut de a-  
liorum scriptis judicandi §. 63. de-  
fendende confusione non sufficit di-  
stinctio Logicae Docentis & Ute-  
ris §. 64. 65. 66. confusione origo  
§. 67.

CAP.

CAP. XIX.

Disciplina Generalis necessitas §. 1.  
ejusque à Logica distinctio necessaria  
§. 2. ad ejus scopum collimat Metaphysica vulgaris §. 3. sed eum non attingit §. 4. mensura illius §. 5. pertinet ad eam tractatio de eruditione  
§. 6. hujus definitio ex sententia THOMASI §. 7. cum nonnullis observationibus §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & propria §. 14. 15. eruditionis subiectum §. 16. principia duo, natura & revelatio §. 17. quæ non recte miscentur aut prius negligitur §. 18. 19. 20. divisio eruditionis ab objecto & modo habendi §. 21. à fine §. 22. quenam inter homines maxime frequens §. 23. 24. 25. Scripta P. POIRETTI de eruditione solida, superficiaria & falsa, merito hic expenduntur §. 26. ex ejus sententia eruditio vera, Dei & proximi amore absolvitur §. 27. 28. Deus quid? §. 29. mentis humanae fac-

cul-

## CAPITUM

cultates superiores §. 30. 31. ejus superficiarie capacitates seu intellectus activus §. 32. cuius ideacum ideis intellectus supremi per lumen verbumque Dei excitatis, male confunduntur §. 33. capacities intellectus activi §. 34. perficitur homo per capacities intellectus, superioris accidentarie per ideas intellectus activi §. 35. superiores facultates solus Deus erudit §. 36. ab homine tamen erudiendo nonnulla praequiruntur §. 37. 38. 39. quibus positis, Deus menti, sui notitiam largitur §. 41. quamvis hæc homines meri rideant §. 42. notitiam Dei, aliarum quoque rerum cognitione sequitur §. 43. facit autem illa Deus vel immediate, vel mediate, per solide eruditos §. 44. Vere eruditionis confessaria, in primis animi tranquillitas §. 45. quomodo vere erudit eruditio nemалиis communicent §. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Eruditio superfici-

## SUMMARIA

ciaria §. 55. non plane contemni debet §. 56. consistit in intellectu activo §. 57. rationes cur pro superficiaria saltēm haberi debeat §. 58. hac ratione Pyrrhonismo non favetur §. 59. triplex lumen, divinum, sensuale & rationis §. 60. primum certissimum §. 61. & excludendo Pyrrhonismo aptissimum §. 62. aliae objectiones di-  
tuuntur §. 63. 64. 65. repræsentatio eruditionis superficiarie §. 66. late il-  
lapatet §. 67. impia est quærela, que Theologiam philosophie immisceri non vult §. 68. 69. Eruditio superficia-  
ria in veram & falsam mox degene-  
rat §. 70. 71. falsitas in eo præcipue  
consistit, si à lumine superiori mens se  
avertat §. 72. POIRETTUS fovet  
enthusiasmum fanaticum §. 73. 74. fi-  
nis quem eruditioni præstítuit, bene  
se habe §. 75. sed intellectus passivus  
& infusa eruditio, enthusiasmum fa-  
tis probant §. 76. 77. 78. 79. 80. 81. quod  
di-

## CAPITUM.

distinctius ostenditur §. 82. 83. 84. 85.  
86. 87. refutantur rationes POIRET-  
TI §. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97.  
98. 99. 100. recte autem rationibus in-  
tellectus activi, passivus destruitur  
§. 101. 102. 103. 104. reliqua POIRET-  
TI dogmata exploduntur §. 105. in pri-  
mis que de interpretatione Scriptu-  
rae fanaticæ dicit §. 106. 107. 108. do-  
ctrina ejus de eruditione superficia-  
ria in quantum censuram mereatur  
§. 109. Pyrrhonismus ei recte imputa-  
tur §. 110. nec confusio Theologiae &  
Philosophiae probari potest §. 111. 112.  
113. 114. sententia de eruditione falsa  
que usque probanda §. 115. de convitiis  
& similibus POIRETTI quid judi-  
candum §. 116. 117. similia de POI-  
RETT O ejusque doctrina §. 118. 119.  
conjectura de causis scriptionis §. 120.  
dictorum summa §. 121. In Discipli-  
na generali generales rerum classes  
constituenda §. 122. 123. carumque  
re-

## SUMMARIA CAPITIUM.

respectus generales explicandi §. 124.  
addi possunt distinctionum formulæ  
§. 124. loci topici §. 125. generalia.  
interpretandi principia §. 126. De-  
nique historia literaria §. 127. utili-  
tas discipline generalis §. 128. ejus  
habitudo in ordine ad Logicam §. 129.  
non convenit illa etati puerili §. 130.  
dici poterit ars recte proficiendi  
§. 131.



CAP. I.

## 1 CAPITULUM.

es explicandi §. 124.  
tionum formulæ  
§ 125. generalia;  
incipia §. 126. De-  
raria §. 127. utili-  
ralis §. 128. ejus  
ad Logicam §. 129.  
tati puerili §. 130:  
ecte proficiendi



CAP. I.



\*\*\* \* \*\*\* \* \*\*\* \* \*\*\*

## CAPUT I.

DE

# ARTE COGITAN- DI, S. SCIENTIA CO- GITATIONUM CO- GITANTUM.

### §. I.



Ccurrere in homi-  
ne facultatem cogi-  
tandi, i. e. de rebus  
objectis conceptū,  
ideam vel imagi-  
nem formandi, id  
omnes homines etiam indoctissimi,  
sentiunt & agnoscunt, licet pauci,  
aut forte rectius nemo, naturam  
principii illius cogitantis, formalem-  
que cogitationum rationem ac sub-  
stantiam intelligat.

§. II. Principium illud cogitans,

A

Mem-

*Mentem* dicimus, quæ dum circa varias res cogitando occupatur, variamque adeo cognitionem sibi comparat, inde pro varietate objectorum vel rerum cognitarum, variis *habitus*, *scientiae* & *disciplinae* sunt exortæ, aut saltem ab hominibus eo fine distinctæ, quo laborem cogitandi dividere, &, quid inde præ cæteris placeat, eligere in eoque cogitationes exercere liceat,

§. III. Quod si mens humana in seipsum velut reflectatur, cogitationesque suas, in rebus concipiendis occupatas, contempletur, earumque hoc sensu sibi acquirat notitiam, tum exoritur peculiaris scientia, *habitū* & *disciplina*, quæ vulgo *Logica*, à recentioribus *Ars cogitandi*, significantissimè autem *scientia cogitationum cogitantium* dicitur, versatur enim circa cogitationes quatenus cogitant, ceū ex dicendis amplius constabit.

quæ dum circa va-  
occupatur, vari-  
tionem sibi com-  
varietate objecto-  
gnitarum, variis ba-  
disciplinae sunt ex-  
b hominibus eo fi-  
laborem cogitandi  
id inde præ ceteris  
n eoque cogitatio-  
t.

i mens humana in-  
ectatur, cogitatio-  
rebus concipiendis  
mpletur, earumque  
acquirat notitiam,  
siliaris scientia, ha-  
, quæ vulgo Logi-  
s Ars cogitandi, si-  
tem scientia cogi-  
tationum dicitur, versa-  
cognitiones quate-  
x dicendis ampli-

§. IV. Quo autem indoles scien-  
tiæ nostræ, eo liquidius intelligatur,  
circa illam, ad exemplum aliarum  
scientiarum vel habituum humano-  
rum observandum est, quod vel ba-  
bitualiter vel systematice supponi,  
aut, si mavis, (1) pro scientia (2) pro  
habitu & (3) pro complexu doctrina  
scriptio comprehensæ, accipi queat.

§. V. Primo sensu est, cognitio,  
notitia vel scientia cognitionum in co-  
gnoscendis rebus occupandarum, à  
mente humana eo fine acquisita, ut ea-  
dem propriarum operationum genera-  
liter ac probe conscientia, omnis generis  
res, humanitus cognoscibiles eorecti-  
us cognoscere verosque conceptus eò  
facilius sibi de iis formare queat.

§. VI. Genus est cognitio, notitia  
vel scientia, quod cum aliis scientiis  
hæc nostra habet commune. Ulti-  
mum autem illis terminis promiscue,  
ostendendæ libertati, quæ circa vo-  
cabulorum usum cuivis competit.

§. VII. Inhæret illa cognitio menti humanae, ac ad eam acquirendam requiritur (1) *nativa mentis bonitas*, (2) *diligens rei cognoscenda tractatio*, quæ omnia iterum nostræ, & aliis scientiis sunt communia.

§. VIII. Ex quibus etiam liquet, quod illa, quæ aliis scientiis obsunt, nostræ quoque contrariantur, nempe *naturalis stupor*, *negligentia*, *vana doctrina*, *perversa docendi discendi que ratio*. Hinc in arte cogitandi dari quoque gradus, manifestum est.

§. IX. Versatur scientia hæc, circa *cognitiones*, per quod objectum ab aliis scientiis distinguitur. Quo autem hæc res distinctius intelligatur, diversæ considerationes sunt separandæ.

§. X. Nimirum mens humana varias res contemplatur, sed istæ cognitiones huc non pertinent, verum inde oriuntur scientiæ & disciplinæ reales.

haeret illa cognitio  
ac ad eam acquiren-  
(1) *nativamentis bo-*  
*is rei cognoscenda tru-*  
*nia iterum nostræ, &*  
*nt communia.*

*quibus etiam liquet,*  
*aliis scientiis obsunt,*  
*contrariantur, nem-*  
*or, negligentia, van-*  
*sa docendi discendi-*  
*c in arte cogitandi*  
*adus, manifestum*

*ur scientia hæc, cir-*  
*per quod objectum*  
*istinguitur. Quo-*  
*dictius intelliga-*  
*derationes sunt se-*

*n mens humana-*  
*tatur, sed istæ co-*  
*pertinent, verum*  
*& disciplinæ*  
*reales.*

reales. Porro eadem *seipsum considerat*, quatenus naturam propriam meditatur, at nec hæ cogitationes sunt hujus loci, sed constituunt partem ejus scientiæ, quæ de Homine agit.

§. XI. Denique mens humana cogitat de cogitationibus propriis, dum earum, in rebus cognoscendis occupandarum vel occupatarum, indolem, varietatem, veritatem ac ordinem expendit, exinde oritur scientia logica, quæ præsentis est considerationis, cujus adeo objectum sunt cogitationes percipientes seu cogitantes.

§. XII. Licet autem intellectus suas saltē operationes hīc consideret, attamen hæ à rebus non penitus abstrahi possunt, sed potius ad eas recte intelligendas, variae res in subsidium vocandæ cogitationibusque explicandis substernendæ sunt, quas pro lubitu vel ex hac, vel alia

disciplina reali desumere licet.

§. XIII. Summa igitur eo redit; in scientiis realibus, intellectus operationibus suis varias res comprehendit, sed in Logica, ipsas operationes, omnis generis rebus applicandas, considerat.

§. XIV. Ex his sequitur, syllogismum non recte haberi pro *adæquato Logices objecto*, ceu etiam contendit Dn. Ulman in *Synops. Log. l. i. c. 1.* nam omnes potius mentis operationes objectum illud constituunt.

§. XV. Nec obstat, quod in *Syllogismo omnes mentis operationes concurrant*, nam id non simpliciter verum est, datur enim perceptio immediata, v. g. *totum est majus sua parte*, quæ à priori per aliam rationem amplius demonstrari, adeoque pars Syllogismi fieri nequeat.

§. XVI. Deinde non opus est, ut mentis operationes, velut partes Syllogismi consideremus, cum potius

i desumere licet.  
nma igitur eo reddit;  
bus, intellectus ope-  
varias res compre-  
ogica, ipsas operati-  
eris rebus applican-

s sequitur, syllogi-  
haberi pro adequa-  
ceu etiam conten-  
*Synops. Log. I. I. c. I.*  
us mentis operatio-  
d constituant. .  
ostat, quod in Syl-  
logis operationes con-  
non simpliciter ve-  
nim perceptio im-  
um est majus sua  
ri per aliam ratio-  
onstrari, adeoque  
i nequeat.  
non opus est, ut  
, velut partes  
emus, cum po-  
tius

tius unaquæque ut medium acqui-  
rendi veritatem spectanda sit. Imo  
si omnino ejusmodi respectus vel  
relationes admittere velis, tum poti-  
us immediata, ac à priori amplius  
non demonstrabilis, perceptio, fun-  
damentiloco, ad quam ~~ter~~ operationes se referrent, supponenda  
esset.

§. XVII. Dn. Weisius in *Log. p. 2.*  
*h. 4. in conclus. §. 3.* diversas sententi-  
as conciliaturus censet Syllogismum  
esse objectum inadäquatum. Quæ  
recte quidem dicuntur, sed vix ad  
mentem Peripateticorum, cum fa-  
cile liqueat, ea quæ de objecto Logi-  
ces dicunt hi, fluere ex hypothesi,  
qua Logicam pro arte conficiendi  
Syllogismos habent.

§. XVIII. Porro nec res omnes pro  
objecto Logices recte habentur,  
cum hæc potius versetur circa men-  
tis operationes, citra peculiare &  
proprium objectum spectatas.

§. XIX. Nec fortassis diversas sententias recte conciliaveris distinctione inter objectum *operationis* & *applicationis* cum Ullmanno d. l. aut inter Logicam docentem & utentem cum Weisio d. l.

§. XX. Nam quando de objecto Logices quæritur, hæc ut peculiaris scientia supponitur, adeoque non aliud objectum, quam *operationis*, nec alia Logica, quam *docens*, intelligi poterit.

§. XXI. Quod autem mens humana acquisitam scientiam logicam ac cogitandi aptitudinem, deinde ad omnes res transferat, exinde hæ logices objectum non recte constitui videntur, cum mens humana etiam citra eam, illas considerare possit, adeoque hæ magis objectum intellectus, quam eum comitantis Logicæ esse videantur. Cum nemine tamen de his valde contenderim. add. infr. c. 18. §. 64. seqq.

§. XXII.

ortassis diversas sen-  
tientia veris distincti-  
tum operationis &  
Ulmanno d. l. aut  
ocentem & utentem

uando de objecto  
, hæc ut peculiaris  
ur, adeoque non  
quam operationis,  
uam docens, intel-

autem mens hu-  
cientiam logicam  
udinem, deinde  
ferat, exinde ha-  
bitu recte consti-  
nens humana et  
considerare pos-  
sis objectum in-  
comitantis Lo-  
Cum nemine  
contenderim.  
eqq.

§.XXII.

§. XXII. Per finem §.5 expressum,  
ars cogitandi ab aliis scientiis quo-  
que distinguitur. De eo vero ut ex-  
plicatus constet, observandum,  
quod eadem vel secundum possesi-  
onem, dum illa simpliciter ut intel-  
lectui inhærens consideratur, vel  
exercitium, dum eam alios docemus,  
vel controversias obvenientes juxta  
illam expendimus, spectetur. Po-  
sterior prioris est finis & effectus.

§. XXIII. Ast utriusque finis est,  
certior magisque secura veritatis per-  
ceptio, de quo definitio. Quod igitur  
res concipere, quod etiam veros  
de iis nobis formare queamus con-  
ceptus; id non Logice, sed naturæ  
beneficium est. Quod autem cer-  
tius veritatem percipiamus, id ab ar-  
te cogitandi deducendum, quando  
enim intellectus in genere modum  
percipiendi, rationemque, ob quam  
sibi ipsi fidere, conceptusque suos  
veros existimare possit, intelligit, in

quibusvis rebus concipiendis deinceps eo rectius versabitur.

**§. XXIV.** Peripatetici Syllogismum fere solum pro fine Logices habent, *vid. Jac. Thomas. Logic. c. 1.* quod immaturam redolet cognitionem. Logica enim omnes mentis operationes, propter veritatem eo rectius cognoscendam, considerat, & inter illas vel nulla prærogativa admittenda, vel non Syllogismo, sed immediatae perceptioni, primus locus tribuendus est, ut nec conciliatio Weisii d.l. Syllogismum pro *fine intermedio* habentis, admittenda videatur.

**§. XXV.** Logica pro *habitu accepta*, *vid. §. 4.* est *promptitudo mentis, operationes proprias rite intelligendi, ut eadem circa singula objecta eò rectius meditari possit.* Quæ de *subjecto, objecto & fine proximè* diximus, illa quoque ad hanc suppositionem pertinent.

**§. XXVI.**

conciendiis deinceps  
sabitur.  
eripatetici Syllogi-  
m pro fine Logices  
Thomas. *Logic. c. I.*  
n redolet cognitio-  
m omnes mentis o-  
ter veritatem eore-  
am, considerat, &  
la prærogativa ad-  
n Syllogismo, sed  
ptioni, primus lo-  
, ut nec concilia-  
logismum pro fine  
is, admittenda vi-

a probabili acce-  
romitudo mentis,  
s rite intelligendi,  
ula objecta eò re-  
t. Quæ de sub-  
roximè diximus,  
c suppositionem

§. XXVI.

S. Scientia Cognitionum Cogitantium. n

§. XXVI. Acquisitâ Scientiâ &  
habitu variè utimur, dum vel juxta  
ea proprias cogitationes dirigimus  
aut examinamus, vel alios illa doce-  
mus, vel controversias occurrentes  
secundum illa decidimus, vel ali-  
quam partem aut integrum scienti-  
am scripto comprehendimus.

§. XXVII. Exinde oritur Logica  
Systematicæ supposita, vid. §. 4. quæ est  
complexus doctrinae, cogitationes hu-  
manas explicantis, eo fine, ut hac ra-  
tione scientiam & habitum vel acqui-  
rantignari, vel periti conservent ac  
subinde restituant. Hoc sensu do-  
ctrina vel disciplina audit.

§. XXVIII. Finis ergo Logicae, sy-  
stematicæ acceptæ, proximus, est Lo-  
gica pro Scientia ac habitu supposita,  
quamvis hujus quoque illa aliquan-  
do finis & effectus sit, ceu ex §. 22.  
Colligi potest, nam pro varietate  
subjectorum, nunc illa est hujus,  
nunc hac illius causa. Interim

Logica intellectualis naturâ prior est  
Logicâ scriptâ.

§. XXIX. Ex his liquet, logicam significantissime dici *Scientiam cogitationum cogitantium*, nec hoc prædicatum rectè attendentibus videri posse otiosum. Interim recte etiam illa vocatur *Ars Cogitandi*, quia scientia illa mentem ita disponit, ut circa quodvis objectum eadem artificiose cogitare possit.

§. XXX. Nec male vulgo, ob eandem rationem, eadent audit *babitus instrumentalis, instrumentum instrumentorum, manus Philosophiae*, vid. Ulman. d. l. i. c. i. J. Thomas. in præfat. Log.

§. XXXI. De genere alias disputant, sitne Logica *babitus, ars, scientia vel disciplina instrumentalis* dicenda? Quæ concertationes eo nomine absurdæ censendæ sunt, quatenus usum Aristoteles, velut immutabilem legem, præsupponunt, cum tamen

X his liquet, logicam  
e dici Scientiam cogi-  
tationis, nec hoc præ-  
tendentibus videri  
Interim recte et-  
ars Cogitandi, quia  
em ita disponit, ut  
jectum eadem ar-  
possit.

nale vulgo, ob ean-  
demi audit habitus  
rumentum instru-  
- Philosophie, vid.  
Thomas. in pre-

nere alias dispu-  
babitus, ars, sci-  
en/rumentalis di-  
- tationes eo no-  
ndae sunt, qua-  
lis, velut immu-  
upponunt, cum  
tamen

tamen cuivis in terminos tantum  
juris competat, quantum competiit  
Aristoteli. De cætero Logica o-  
mnia illa prædicata ferre potest, pro  
diversitate tamen respectuum, ma-  
gis hoc quam illud, ceu etiam admo-  
nuit Weisius in *Log. p. 2. l. 4. in con-  
clus. §. 2.*

§. XXXII. Ex dictis porrò appa-  
ret habitudo Logicæ, in ordine ad  
alias disciplinas. Nimurum cum  
hæ versentur circa peculiaria obje-  
cta, illa verò mentis humanæ opera-  
tiones, cuivis objecto speciali appli-  
candas, expendat, hinc liquet, Lo-  
gicam cæteris disciplinis non subor-  
dinari, sed coordinari, seu cum sin-  
gulis velut concurrere.

§. XXXIII. Qua igitur ætate ar-  
tem cogitandi excolere par sit, quæ-  
ri potest? Poterat illa cæteris disci-  
plinis omnibus præferenda videri,  
cum mentem ad res recte concipi-  
endas disponat, quæ sententia etiam

vulgo recepta videtur, dum in scho-  
lis trivialibus, &, ad harum exem-  
plum, privatis, admodum pueri vel  
adolescentes Logicam docentur.

**§. XXXIV.** Sed ista sententia atq;  
institutum perinde mihi videntur  
absurda, ac si infantes saltare doceas,  
antequam illi proprio morte ince-  
dere queant. Scientia logica non  
est puerilis, sed mentem firmatam,  
rerumque cognitione aliquali suba-  
ctam præsupponit.

**§. XXXV.** Quare potius ætas pue-  
rilis cognitione linguarum, aliarum-  
que rerum in sensus incursum,  
& memoriam desiderantium imbu-  
enda est. Postquam vero iudicium  
maturescere cœpit, tum præceptis  
logicis, ad disciplinas serio magis  
excolendas, idem præparandum  
est.

**§. XXXVI.** Nec obstat, quod sine  
adminiculo cogitandi, non recte co-  
gitemus. Nam naturali vi mens  
hu-

etur, dum in scho-  
ad harum exem-  
modum pueri vel  
tam docentur.  
ista sententia atq;  
e mihi videntur  
es saltare doceas,  
rio morte ince-  
ntia logica non  
ntem firmatam,  
ne aliquali suba-

potius ætas pue-  
tarum, aliarum-  
s incurrentium,  
rantium imbu-  
n verò judicium  
tum præceptis  
as serio magis  
præparandum

stat, quod sine  
non recte ca-  
rali, vi mens  
hu-

humana res concipit, conceptibus-  
que suis assentitur, licet rationem,  
cur ita faciat, non intelligat, quod in  
ætate puerili sufficit, imo sufficere  
debet, cum eadem subtilioris scien-  
tiæ, in se ipsam reflexæ, non sit ca-  
pax.

§. XXXVII. In primis verò illa-  
admittenda sunt, si de Logica vulga-  
ri quæratur, cum enim illa multa a-  
liena contineat, necessaria sæpe o-  
mittat, ac doctrinam propriam va-  
riè corrumpat, hinc adeo teneræ  
ætati eâdem non consulitur aut ad  
cogitandum illa apta redditur, aut  
potius nativa ejus vis doctrinâ pa-  
rum solidâ ac intempestive adhibitâ,  
obtundatur.

§. XXXVIII. Hoc primum caput  
est Logicæ Systematicæ, in quo de  
natura artis cogitandi in genere fuit  
disquirendum. Postea res ipsa pro-  
ponenda erit, & cum versetur hæc  
disciplina circa cognitiones seu men-  
tis

*tis operationes*, ideo, pro modulo cognitionis, tota tractatio futura, nobis ad hæc capita generalia redigi posse videtur.

§. XXXIX. Nempe ut expendamus (1) cognitionum *indolem*, (2) *veritatem* (3) *falsitatem*, (4) *varietatem* ac (5) *ordinem*. Quibus per modum appendicis adjiciemus (6) *Summariam eorum quæ ad Logicam vulgore referuntur, nec tamen eopertinent, recensionem, nec non (7) disciplinæ generalis, præter logicam, ad excolendas disciplinas speciales necessaria, delineationem.*

## CAPUT II.

# DE COGITIONIBUS HUMANIS IN GE- NERE.

### §. I.

**M**entis humanæ proprium est, *cogitare*. Hæc operatio eate-  
nus

Cognitionibus  
eo, pro modulo  
tractatio futura,  
a generalia redigi

inpe ut expenda-  
num indolem, (1)  
ratem, (4) varie-  
m. Quibus per  
is adjiciemus (6)  
qua ad Logicam  
et tamen eo pertin-  
ec non (7) disci-  
er logicam, ad ex-  
speciales neces-

II.

ONIBUS  
IN GE-  
E.

proprium est,  
operatio cate-  
nus

nus ad artem cogitandi pertinet,  
quatenus in rebus concipiendis oc-  
cupatur, quo respectu adeo eam bre-  
viter expendemus, difficilibus con-  
troversiis de Homine & mente hu-  
mana disciplinæ propriæ relictis.

§. II. Cogitatio est actus mentis  
humanae, quo de rebus objectis, vel me-  
diate per sensus externos, vel imme-  
diate sine illorum adminiculo, ideas  
illa sibi format, easque amplias, prout  
visum fuerit, inter se confert.

§. III. Per ideam intelligimus cu-  
jusvis rei representationem, cuius  
mens humana conscientia est. De cæte-  
ro ipsa repræsentatio pro ratione  
objecti varia est; Eorum, quæ per  
visum menti illabuntur, aliqua ve-  
luti imago depingitur, cæterorum  
quæ per auditum, gustum, odoratum  
aut tactum, vel immediate à mente  
percipiuntur, alia u[er]ique repræsen-  
tandi ratio est, ut hactenus descri-  
men inter imaginationem & puram  
intel-

*intellectionem omnino admittendum sit, ceu admonuit Autor art. cogitandi p. I. c. I.*

§. IV. Quod autem idem Autor existimet, discrimin laudatum etiam occurrere in iis; quæ visui subjacent, ac v. g. figura ~~n~~ mille angulorum non posse nos imaginari, aut mille ejus latera oculis mentis tanquam præsentia intueri, posse tamen clarissime & distinctissimè eam concipere, id non satis liquidum videtur.

§. V. Nam mille angulos neque sibi imaginari, neque etiam concipere potest mens humana, sed si hoc facere conetur, tum multitudine rerum repræsentandarum obruitur. Et confundit, nisi fallor, Autor numerum millesarium in se, & ratione mille angulorum spectatum, illum, ejusque ad alia proportionem, mens humana utique concipit, sed non hunc.

§. VI. Solennus autem ideas vel  
con-

*Cogitationibus*  
minò admitten-  
onuit Autor art. co-  
utem idem Autor  
men laudatum et-  
is; quæ visui sub-  
mille angulo-  
magnari, aut mil-  
s mentis tanquam  
posse tamen claris-  
mè eam concipere,  
um videtur.  
le angulos neque  
que etiam conci-  
umana, sed si hoc  
in multitudine re-  
Harum obruitur.  
fallor, Autor nu-  
in se, & ratione  
fatum, illum, e-  
portionem, mens  
incipit, sed non  
autem ideas vel  
con-

conceptus nostros verbis alligare,  
quæ tamen ab illis differunt, nec eas  
tollunt, ut nimis inepta sit sententia.  
(Si modo unquam serio quis ita exi-  
stimat) quæ ratiocinationem nihil  
aliud esse censet, quam copulationem  
appellationum per verbum est, cuius  
idem Autor d. l. meminit eamque  
refellit.

§. VII. Summatim autem mens  
humana format sibi ideas vel *media-  
te*, per sensus externos, vel *immedia-  
te* sine eorum adminiculo. Prius  
non adeò controversum, quamvis id  
non satis expeditum sit, quantum in  
rebus percipiendis sensui externo  
tribui debeat. Nos illa sollicitius  
jam non inquiremus, sed acquiesce-  
mus potius in philosophia popu-  
lari.

§. VIII. Posterius autem magis  
dubium est, cum immediatam per-  
ceptionem omnes negare videan-  
tur, qui contendunt: *Nihil esse in*  
*in-*

intellectu, quod non antea fuerit in sensibus. vid. Thomas. J. f. D. l. i. c. I. §. 51. introd. ad Philos. aulic. c. 3. §. 34. c. 5. §. 34.

§. IX. Enim vero nobis multæ res esse videntur, quas immediate mens humana percipiat. Eo non immrito refertur *conceptus*, quem de *Deo* & *cogitationibus nostris* habemus. vid. Autor art. *cogit. d. p. I. c. I.*

§. X. Porro licet multæ ideæ per sensus externos excitentur, attamen si intellectus eas inter se conferat, earumq; occasione novos sibi formet conceptus, hoc omne sine sensuum externalorum concursu peragitur.

§. XI. Sic etiam cogitat alterius de quibuscunque, sensualibus quoque, rebus, immediate intellectu percipimus. Nec est quod dicas, per auditum aut visum illa menti nostræ communicari, nam signa quidem, puta voces dictæ aut scriptæ, in sensus cadunt externos, ast res significalia.

ficata immediate percipitur.

§. XII. Nec illud obstat, quod id est, quarum ope alterum loquentem aut scribentem intelligimus, per sensus sint excitatae, v. g. si alter de equo sententiam proponat, ejus cogitata intelligo, quia antea per visum idea equi in me erat producta.

§. XIII. Nam primò id haut est universale, cum alter de rebus non sensualibus aut incognitis possit loqui, deinde licet etiam de iis, quarum ideam antea sensus externi in nobis produxerant, differat, attamen illa ipsa idea, quam alter de rebus, licet sensualibus, nunc verbis propo- nit, immediate in intellectum pe- netrat.

§. XIV. Inprimis huc pertineat *Res morales*. Ostendat quis per quem sensum conceptus dominii imperii, ususfructus, potestatis patriæ & dominicæ aliorumque juri- um in mente humana fuerit produ-

ctus.

ctus. Nec valebit exceptio, *visu* vel *auditu id factum esse*, nam *distin-*  
*ctio inter signum & rem signatam*, fa-  
 cile eam elidit.

§. XV. Adhuc, rem furtivam es-  
 se, quo sensu percipimus? dicas, vi-  
 su! verum furtum ipsum in sensus  
 quidem occurrit, sed morale illud,  
 quod furem ad damni restitutionem  
 & pœnam obligat, reique furtivæ u-  
 sucaptionem inhibet, nullo sensu ex-  
 terno temere percipies.

§. XVI. Denique liceat in exem-  
 plum producere *defectus disciplina-*  
*rum*, qui vel circa *rem ipsam*, vel *or-*  
*dinem* occurrunt. Hi adeo in sen-  
 sus non cadunt, ut nequidem signa  
 aliqua hos afficiant, cum Autores il-  
 larum, vel nihil vel contrarium de  
 hoc dicant, hinc non nisi solerti  
 mente illi indagantur.

§. XVII. De cætero quoad veri-  
 tatem rerum perceptarum, nihil re-  
 ferre videtur, sive omnia per sensus

con-

concipi asseras sive neges, ut hactenus dissensus ille sit innoxius, alterum interim altero est verisimilius.

§. XVIII. Cogitationes non alter fieri posse, quam cum sermone interno seu tacito, censet Dn. Thomasius in *introduct. ad philos. aulic. c. 3.*

§. 35. in der Einleit. zur Bermunft-Lehre / c. 3. §. 22. seqq. c. 13. §. 7. sed hoc dubium videtur, cum e. gr. differentiam odoris, quem rosæ & lilia spargunt, satis quidem percipiamus, simulac flores illos naribus admovemus, conceptum tamen illum vel omnino non; vel non satis prompte possimus eloqui. conf. Id. d. l. c. 12.

§. 44.

§. XIX. Quod igitur cogitantes regulariter secum loquantur, id non tam ex aliqua necessitate, quam potius ex illa consuetudine, qua conceptus verbis, ut hac ratione aliis innotescere possint, alligantur, provenire videtur, prout non male con-

conjicit Autor art. cogit. in proœm.  
pag. m. 4.

§. XX. Interimetiam hic dissensus summam rei non attingit, nam sive cogitationem sine sermone fieri posse neges, sive ajas, perceptioni ipsi nihil inde vel decedit, vel accedit. Infirmitas interim mentis humanæ exinde elucet, dum operationum propriarum in dolem perspicue satis explicare per omnia non potest.

### CAPUT III.

### DE

# COGITATIONUM HUMANARUM VE- RITATE.

#### §. I.

**V**eritas est *conformitas conceptus seu ideæ cum re concepta*. Præsupponit igitur hæc veritas logica, veritatem rerum ipsarum, nam hæ ex suis existunt principiis, propria-

metiam hic diffen-  
non attingit, nam  
in sine sermone fieri  
e ajas, perceptioni  
decedit, vel acce-  
interim mentis hu-  
cet, dum operatio-  
indolem perspicue-  
er omnia non por-

### UT III. DE TIONUM RUM VE- ATE.

I.  
formitas conceptus  
re concepta. Pra-  
tur hæc veritas lo-  
rum ipsarum, nam  
principiis, pro-  
pria-

priaque gaudent naturâ, nemine li-  
cet de iis cogitante, quodsi autem  
mens humana iis se applicet, eas-  
demque, prout sunt, concipiatur, tum  
oritur veritas in intellectu, per quam  
is suo modo certus redditur, rem ita  
se habere, prout ipsi repræsentatur.

§. II. Id autem facile liquet, ve-  
ritatem hanc non posse esse fortui-  
tam, possumus quidem veritatem  
fortuitò dicere, ut ejus mens non sit  
conscia, sed sine mente veritatem  
nequimus concipere, hactenus ta-  
men fortuiti quid intercurrere pot-  
est, quatenus verum concipimus  
& afferimus, quod cum propriis hy-  
pothesibus non cohæret.

§. III. Est veritas vel *certa*, de qua  
cum ratione amplius dubitare non  
possumus, vel *probabilis*, circa quam  
adhuc dubia supersunt. Sæpe tamen,  
modestiae causa, probabile dicimus  
quod satis certum est, quæ adeo lo-  
cuto certitudini non officit. Ad ve-

ritatem rerum, ista distinctio non pertinet, sed hæc una est.

§. IV. Certa veritas est iterum vel *indemonstrabilis*, quæ singulari perceptione apprehenditur, v. gr. *totum est majus sua parte*, *actio voluntaria potest imputari*; vel *demonstrabilis*, quæ per rationem priorem demonstratur, v. gr. *Imperanti est parendum*, quia scil: te creavit, vel tu ejus imperio ultro te subjecisti. Ab *objecto* est veritas vel *rerum*, vel *sententiarum verarum aut falsarum*, add. Dn. Thomas. in *Intr. ad Phil: aulic: c. 5.*

§. V. Ulti autem Veritas, cogitationum humanarum scopus, meritò esse debet, ita ex rebus, & inde ortis disciplinis realib⁹, eadem actu hauritur, modum verò eandem circa quodvis objectum, humanitus cognoscibile, acquirendi, tradere debet  
*Ars cogitandi,*

§. VI. Possimus veritatem acquirere licet modū acquirendi, non intelli-

ista distinctio non  
una est.  
eritas est iterum vel  
quæ singulari per-  
nditur, v. gr. totum  
e, *actio voluntaria*  
vel *demonstrabilis*,  
priorem demon-  
anti est parendum,  
t, veltu ejus impe-  
cisti. Ab *objecto*  
um, vel *sententia-*  
*aljarum*, add. *Dn.*  
*ad Phil: aulic: c. s.*  
Veritas, cogitati-  
scopus, meritò  
bus, & inde ortis  
eadem actu hauri-  
idem circa quod-  
manitus cognos-  
, tradere debet  
eritatem acqui-  
uirendi, non in-  
telli-

telligamus, imò plerique mortalium,  
sine hujus cognitione, eum acqui-  
runt, præsupposita tamen modi il-  
lius cognitio, in quavis veritate per-  
cipienda utilis est.

§. VII. Interim dum modum il-  
lum Philosophi penitus explicare  
conati sunt, multi eorum cum mo-  
do quæsite, omnem propemodum  
veritatem amiserunt, alii eum ita  
tradiderunt, ut in cognoscenda ve-  
ritate parum inde proficias, imò ille  
mentem magis impediat quam ju-  
vet, ut illa cognitione, præstet igno-  
rancia.

§. VIII. Ego Controversiarum,  
quæ heic agitantur, arbitrium mi-  
hi non sumo, arbitror tamen rem  
explicatu non adeò esse difficilem,  
si quis anxiâ aliarum sententiarum  
inquisitione, quæ mentis aciem ve-  
lut obtundit, aut debitam attentio-  
nem impedit, posthabita, proprio  
marte eam aggrediatur.

§.IX. Totum igitur indagandæ veritatis negotium duobus capitibus constare nobis videtur, (1) *an intellectus humanus veritatis capax sit.* Eo posito (2) *quomodo eam acquirat,* *quoque indicio certus reddatur, se eam acquisivisse?* quæ qua ratione explicanda, aut aliorum placita rectè ordinanda sint, breviter ostendemus, parum solliciti, an menti autorum tradita nostra penitus convenient nec ne, id enim jam non agimus.

§. X. Capacitas verum acquirendi, menti humanæ omnino tribuenda est, impossibile tamen videtur, afferre rationem positivam, quâ illa à priori probetur, nam est etiam ex eorum numero, quæ singulari perceptione intelliguntur, hinc intellectus sibi ipsi hîc fidere quoque debet, quia capacitatem illam clare & distincte intelligit.

§. XI. Evidenter excipiet Scepticus, *sæpe intellectum tam in percepti-*

one immediata, quam mediata per sensus, falli, adoque incertum esse, annon idem ita sit formatus, ut semper fallatur, quæ objectio tam absurdâ non est, ut quibusdam videtur, quasi scilicet à particulari ad universale, vel à posse ad esse inferat. vid: Thomas. *Ausübung der Vernunft-Lehre* c.i. §.37.sqq.

§. XII. Nam Scepticus supponit, quod intellectus sapiens fallatur, quod etiam satis experientia confirmat, præterea ille vel unicum exemplum, in quo idem non fallatur, se scire negat, vel saltem dissimulat, ex quo illatio, ad universalem intellectus incapacitatem, non incommodè fluit.

§. XIII. Ista objectio non rectius removebitur, quam si Sceptico exemplum veritatis, intellectu cognitæ, proponas, circa quod ille amplius cum ratione dubitare non possit.

§. XIV. Ea vero res tibi non procedet, si hujus generis propositiones:

*totum est majus sua parte: bis duo sunt quatuor: tu babes manus, pedes, ergo es: &c. afferas, nam licet illæ in se sint verissimæ , attamen cum saltem pertineant ad thesin , quam hic de capacitate percipiendi verum, supponis, illustrandam, rationem vero, qua Scepticus universalem , de laudata capacitate dubitationem, adstruxisse, videri vult , non attingant & removeant, hinc de omnibus illis exemplis , & hactenus quidem non sine ratione, idem dubitabit.*

**§. XV.** Quare alio modo agendum erit, & ostendendum, quod eâ viâ, qua maximè elabi conatur Scepticus, in nostram sententiam prono cursu idem ruat, id autem fit, si eodem medio, quo intellectui aptitudinem, cognoscendi veritatem, ille abjudicare volebat, eandem probemus.

**§. XVI.** Dicamus igitur Sceptico, intellectus tuus certo percipit hanc veritatem: *dubitas, cogitas, ergo es, si rege-*

sua parte: bis duo  
habes manus, pedes,  
feras, nam licet illæ  
mæ , attamen cum  
ad thesin , quam  
percipiendi verum,  
andam, rationem ve-  
us universalem , de-  
re dubitationem, ad-  
vult , non attingant  
hinc de omnibus illis  
actenus quidem non  
in dubitabit.  
alio modo agendum  
ndum, quod eâ viâ,  
i conatur Scepticus,  
entiam prono cursu  
em fit, si eodem me-  
ui aptitudinem, co-  
tem, ille abjudicare  
proberemus.  
nus igitur Sceptico,  
erto percipit hanc  
s, cogitas, ergo es, si  
rege-

regerat, *dubito*, ergo *dubitas* replica-  
bimus. Hinc quamdiu etiam ille su-  
um *dubito* ingeminet, semper tamen  
& verbis & facto simul testabitur, se  
hanc veritatem, *quod dubitet*, certò  
intelligere.

§. XVII. Dicamus porro, *Tu dubi-  
tas de capacitate intellectus* ! ergo  
fateris, te certo percipere, quod de  
ea qværi & dubitari possit ! addamus  
tandem, *tu contendis in intellectum se-  
pe falli*, ergo errores intellectus, in  
illis casibus commissos, intelligis !

§. XVIII. Dum itaque Scepticus  
propria cædit vineta, ac exempla cer-  
tissimarum veritatum ipse suppedi-  
tat, non potest amplius tergiversari,  
aut de capacitate mentis humanæ, in  
cognoscenda veritate, cum ratione  
dubitare, nam sane, fateri quod du-  
bites, & tamen negare, quod hoc in-  
telligas, id est hominis cum ratione  
insipientis.

§. XIX. Quando ita ad liquidum  
B 4 de-

deductum est; quod intellectus non eo modo formatus sit, ut semper fallatur, deinde Scepticus facile intelliget, unde sit, quod ille aliquando fallatur, nimirum non ab intrinseca & immutabili aliqua dispositione, sed vel ab operatione attente satis non instituta, vel ejus infirmitate, objectique difficultate.

§. XX. Ex his apparet, exempla veritatum à dubitatione aut cogitatione desumptarum, ac in specie tralatitium illud: *cogito, ergo sum*, non eò pertinere, ut *lumen naturale seu aptitudo cognoscendi verum*, per ea probetur, (hæc enim indemonstrabilis est) sed ut solum illustretur, ac contra objectiones Sceptici solidè defendatur.

§. XXI. Atque hoc respectu, cum laudata propositione: *cogito, ergo sum*, nulla alia v. gr. *ambulo, video, loquor, manus & pedes habeo, ergo sum*, conferri potest, illa enim continet veritatem

quod intellectus non  
est sit, ut semper fal-  
septicus facile intelli-  
od ille aliquando fal-  
non ab intrinseca &  
ua dispositione, sed  
ne attente satis non  
is infirmitate, objec-  
te.

apparet, exempla  
itatione aut cogitati-  
o, ac in specie tralati-  
o, ergo sum, non eò  
men naturale seu a-  
di verum, per ea pro-  
m indemonstrabilis  
n illustretur, ac con-  
Sceptici solidè de-

hoc respectu, cum  
one: cogito, ergo sum,  
nbulo, video, loquor,  
deo, ergo sum, con-  
im continet veri-  
tatem

tatem indemonstrabilem, omnium pri-  
mam & ad confodiendum scepticismum  
maxime idoneam ab ipsoque sceptico  
suggestam, hæ verò veritates indemon-  
strabiles quidem exhibent, sed non  
primas, nec ad constringendum scepti-  
cum aptas.

§. XXII. Asserta intellectui veri-  
tatem cognoscendi aptitudine, dein-  
ceps dispiciendum, quomodo eam ac-  
quirat, quoque indicio certus reddatur,  
se eam acquisivisse, circa quod illud  
præmonendum, per principia mox  
explicanda, ipsam etiam intellectus  
aptitudinem cognosci quod, ex §. 10.  
jam colligi potest. Interini non in-  
congruum videtur, si præmissa illa  
aptitudine, deinde de objectis, quæ  
intellectui offeruntur, instituatur  
disquisitio.

§. XXIII. Acquirit ergo intelle-  
ctus veritatem ac de acquisita certus  
reditur per principia cognoscendi,  
quæ sunt regulae negotium veritatis,

*circas singula objecta cognoscibilia, in-daganda, continentes.* Sunt illa ex mea quidem sententia, quadruplicia: *Judicantia, preparantia sive promo-ventia, probantia & defendantia, quæ nisi accurate distinguantur, & singu-lorum habitudo seorsim explicetur, omnis de cognoscendi principiis tra-ctatio dubia & confusa manet.*

§. XXIV. *Principium judicans* (li-ceat sic dicere) est vulgatum illud: *Quicquid clare & distincte, sive imme-diate, citra adminiculum sensuum ex-ternorum, sive mediatae per sensus exter nos, intellectus percipit, illud est verum, i. e. de ejus veritate, per pro-priam cognitionem certo est persuasus.*

§. XXV. *Quo illa magis intelli-gantur, lubet principii illius sensum & habitum paulo distinctius evol vere.* Illum quod attinet, requiri-mus (1) *perceptionem claram & di-stantiam*, circa quam scil: nulla am plius dubitandi ratio occurrat, v. gr.

*totum*

iecta cognoscibilia, in-  
tentes. Sunt illa ex-  
tentia, quadruplicia:  
garantia sive promo-  
ta & defendantia, quæ  
tinguantur, & singu-  
lo seorsim explicitur,  
scendi principiis tra-  
confusa maner.  
incipium Judicans (li-  
est vulgatum illud:  
& distincte sive imme-  
niculum sensuum ex-  
mediate per sensus  
fus percipit, illud est  
s veritate, per pro-  
cero est persuasus.  
illa magis intelli-  
cipii illius sensum  
distinctius evol-  
d attinet, requiri-  
rem claram & di-  
am scil: nulla am-  
o occurrat, v.gr.  
totum

totum est majus sua parte, Deo compe-  
tit in homines imperium, quia eos crea-  
vit &c. nam his ita se habentibus, non  
potest non intellectus sibi ipsi assen-  
tiri, atque ita in eo certa veritas exi-  
stere.

§. XXVI. Quodsi igitur (2) aliquid  
clare & distincte non percipiamus, il-  
lud non est verum, nempe quoad nos  
& veritate certa, ac ex propria cogni-  
tione dependet. Interim pro ra-  
tione cognitionis, veritas probabilis  
adesse potest.

§. XXVII. Porro non existimandu-  
m (3) omnem perceptionem esse cla-  
ram & distinctam, quam percipiens  
pro tali habet, nam sicut homines a-  
lias falluntur, ita etiam in aestimanda  
perceptione sua falli possunt, quare  
licet clara & distincta perceptio, ul-  
timato proprio intellectus judicio  
determinetur, attamen quodvis e-  
jus judicium perfunctionum non de-  
bet admitti, sed circa veritates ob-

seuras, magna sollicitudine perce-  
ptio illa æstimanda est.

§. XXVIII. Hinc non tantum at-  
tentè meditationes sunt instituendæ,  
sed & per diversa temporum inter-  
valla subinde repetendæ, aut cum a-  
liis communicandæ, sic abusus evi-  
tabitur, quamvis, ut ille penitus ces-  
set, effici non possit, quæ mentis  
humanæ infirmitas, incuria aut per-  
tinacia est.

§. XXIX. Id nihil referre putavi-  
mus, sive(4) *intellectus* *aliquid im-*  
*mediate*, *sive mediate per sensus ex-*  
*ternos percipiat*, nam duplicem istam  
percipiendi rationem occurrere, *cap.*  
*præced.* ostendimus.

§. XXX. Denique intelligimus(5)  
*veritatem quoad nos*, & *que ex pro-*  
*pria cognitione dependeat*, hinc neu-  
tiquam principium nostrum perti-  
net ad *veritatem rerum*, eo sensu,  
quasi conceptus noster res producat  
aut iis existentiam & essentiam lar-

giatur, hoc sane existimare, stultissimum fuerit.

§. XXXI. Conceptus non sunt causa rerum, sed hæc, causa conceptuum. Res non existunt, quia concipiuntur, sed adsunt, nemine licet cogitante, dum vero ex suis existentes principiis intellectui humano offeruntur, easque ille ita clarè & distincte percipit, ut nullam amplius dubitandi causam habeat, tum illas veras esse agnoscit, i. e. suo conceptu iis existentiam non largitur, sed ob claram illam repræsentationem de illarum præsentia penitus est persuasus.

§. XXXII. Porro non pertinet principium nostrum ad *veritatem creditam*, ham enim propria cognitione non intelligimus, sed, ob autoritatem alterius, admittimus, interim circa examinandam autoritatem, principii nostri aliquis est usus, ut postea dicemus.

§. XXXIII. *Habitum* Principii propositi quod concernit, est illud (1) *verum*, veritas autem est indemonstrabilis, & non nisi, ob irrefragabilem evidentiam, singulari perceptione agnoscitur.

§. XXXIV. Nam intellectus ultimatò de percepta veritate certus redditur, non extrinseco aliquo adminiculo, sed proprio testimonio, si enim præsupposita verum cognoscendi capacitate, rem aliquam ita clare percipiat, ut nulla amplius dubitandi causa supersit, & tamen sibi ipsi fidem habere, ac cognitioni assensum præbere nolit, id fuerit animi voluntario delirantis, aut stuporem vel deliquium simulantis, aut inepte contumacis.

§. XXXV. Porro est (2) *universale*, pertinens ad omnes disciplinas, omnesque veritates propria cognitione acquirendas, quod ex inductione facile constat; nam quicquid pro certo

to per propriam cognitionem habemus, illud tandem ideo fit, quod de eo amplius dubitare nequeamus.

§. XXXVI. Ulterius est (3) *Primum & ultimum*, i. e. tale, ad quod omnia reliqua referantur, & quod ultimum omnis veritatis, propria cognitione acquirendæ, criterium contineat.

§. XXXVII. Nec tamen (4) cum *veritate percepta connexum*, principia probantia, peculiares veritates sunt, ex objecto aliquo resultantes, adeoq; cum *veritate probanda* conexæ, ut infra videbimus, sed hoc principium judicans, est saltem generalis aliqua regula, qua intellectus velut se ipsum admonet, quo sibi fidem habeat, quando nulla amplius dubitandi causa adest.

§. XXXVIII. Atque ex his non difficile fuerit, Principium hoc, ab objectionibus imperitorum, ac præjudiciis scholasticis occupatorum vindicare.

dicare. Ego subinde hujus generis rationes objici audivi.

§. XXXIX. Ergone inquiunt (1) *Deus est, quia ejus existentiam clare & distincte percipio?* Illi verò qui ita sciscunt, insaniunt, inquam ego! quam absurde enim in alium plane sensum, assertio detorquetur? quis dixit, quod conceptus sit causa rei? Deus est & erit, nemine licet cogitante.

§. XL. Quodsi autem sano sensu objectio explicetur, tum vera est, & tota conceditur, nempe *quia Dei existentiam clare & distincte percipio, ergo est, i. e. non existit nunc deum ob meum conceptum, sed ego de ejus existentia, per propriam cognitionem planè sum persuasus.*

§. XLI. Pergunt (2) *equum alatum, aureum montem clare & distincte percipio, ergo sunt!* sed falsum est, quod equi alati, montis aurei existentiam clare & distincte percipiās, ergo

binde hujus generis  
udivi.

Irgone inquiunt (1)  
us existentiam clare  
ipio? Illi verò qui  
inquiunt, inquam ego!  
nim in alium plane  
detorquetur? quis  
ceptus sit causa rei?  
, nemine licet co-

si autem sano sensu  
ar, tum vera est, &  
nempe quia Dei exi-

distincte percipio,  
n existit nunc de-  
conceptum, sede-  
tia, per propriam  
nè sum persuasus.

(2) equum alatum,  
clare & distincte  
! sed falsum est,  
montis aurei ex-  
istincte percipiās,  
ergo

ergo etiam de veritate eorum, velut  
extra intellectum tuum existentium,  
non potes esse persuasus.

§. XLII. Tu fingis saltem illa, ac  
postea cerebri tui figmenta intueris,  
hinc amplius etiam nihil inferre po-  
teris, quam te illa omnia, ut entia fi-  
cta, clare concipere, sic neminem ha-  
bebis contradicentem. Id addo, e-  
tiam secundam hanc objectionem  
redolere errorem in prima notatum,  
quasi scil: sensus principii nostri sit,  
quod quis suo conceptu res efficere  
queat.

§. XLIII. Addunt (3) juxta hoc pri-  
cipium contradictionia simul vera futu-  
ra, experientia enim notum esse, &  
vel ex controversia de fine seculi de-  
cimi septimi & initio decimi octavi,  
hactenus agitata, intelligi, quod,  
quoties duo in aliqua re sibi contra-  
dicant, ambo claram & distinctam  
perceptionem jacent, hinc neces-  
sario

sariò utramque sententiam veram futuram.

§. XLIV. Levis objectio ! non quicquid aliquis se clare & distinctè percipere, jactat, illud statim verum est, sed quicquid revera clare & distincte percipit, si ergo quis in applicatione laudati principii labatur, id huic non est imputandum, nec ex isto abusu ejus bonitas neganda.

§. XLV. Sed aīs, ita nos incidere in nodum indissolubilem, cum enim omne id, utrum revera clare & distincte percipiāmus, an vero saltem ita nos percipere putemus, intellectu sit expediendum, hic vero omnibus hominibus sit communis, hinc nunquam ad liquidum deduci posse, veritate an opinione saltem, laudata clara & distincta perceptio nitatur, unoquoque ad internum intellectus sui testimonium provocante.

§. XLVI. Ast salva res est, demus, intellectum omnibus hominibus æ qualiter

ue sententiam veram  
levis objectio! non  
is se clarè & distincte  
tat, illud statim verum  
id revera clarè & di-  
, si ergo quis in appli-  
principii labatur, id  
putandum, nec ex isto  
tas neganda.  
ais, ita nos incident  
solubilcm, cum enim  
n revera clarè & di-  
nus, an vero saltem  
putemus, intellectu  
, hic vero omnibus  
mmunis, hinc nuna  
n deduci posse, ve-  
ne saltem, laudata  
perceptio nitatur,  
ternum intellectus  
provocante.  
lva res est, demus,  
bus hominibus &  
qualiter

qualiter competere, (quamvis de hoc  
etiam dubitari queat) attamen intellectus  
non in eodem semper statu  
deprehenditur, hinc nec ejus in re-  
bus concipiendis semper eadem vis  
est, multum interest, an intellectus  
rerum aliarum cognitione jam sit  
imbutus, an rudis, utrum attente, si-  
ne præcipitantia ac pertinacia medi-  
detur, an vero his laboret præjudi-  
ciis, an fervido impetu aliquid con-  
cipiat, an cogitata post aliquod tem-  
pus recolat, eademque magis ex-  
poliat, juxta quæ discriminantia lau-  
datum facile explicatur.

S.XLVII. Nimirum si intellectus  
ita rem percipiat, ut nulla amplius  
dubitandi causa, quam vel ipse, vel  
alius suppeditet, supersit, tum clare  
& distincte percipit, si vero dubitan-  
di causa adhuc supereret, tum clarè &  
distincte se concipere saltem putat,  
illo casu adest principii usus legitimi-  
mus, hic abusus.

§. XLVIII. V. gr. Eqvum esse quadrupedem, ita clarè percipis, ut nulla adsit dubitandi causa, ergo verum est, seu de illius rei veritate per propriam cognitionem merito es persuasus, sed annum 1700. esse primum seculi decimi octavi, id clarè & distinctè te concipere, saltem putas, quia suppetunt in contrarium rationes, non temere removendæ, nam qui ista dicunt, illi asserunt finem anni, antequam initium & medium ille habuerit, quod est absurdum.

§. XLIX. Ex his satis liquet, discriminem claræ & distinctæ perceptionis verae & putativæ, quod animus tranquillus facile etiam agnoscat, nam pertinax, perinde ut insanus, id non capit, & aliud est, discriminem posse ostendere, aliud persuadere, prius factum est, posterius homini præstare non licet.

§. L. Interim fateor, omnem principii memorati abusum, quantam-

cun-

V. gr. Eqvum esse qualiter percipis, ut nulandi causa, ergo verius rei veritate per hanc rationem merito est annum 1700. esse principi octavi, id clarè concipere, saltem putant in contrarium ratiere removendæ, nam illi assentunt finem animalium & medium ille est absurdum. is satis liquet, distinctæ perceptionis quod animus transmagnoscat, nam ut insanus, id non discrimin posse persuadere, prius factus homini præstare atque omnem primum, quantum cun-

cunque etiam quis adhibuerit attentionem, non semper posse evitari, quæ est humanæ mentis infirmitas, hinc est, quod saepe aliquid pro vero habecatur, quod tamen falsum postea apparet, sed ut abusus principii, aliquando etiam ex imbecillitate humana intercurrat, ipsum tamen principium, sine ulla exceptione bonum manet,

§. LI. Summa igitur eo redit: Principium ipsum nunquam fallit, sed ejus usus aut applicatio, aliquando ex præcipitania, negligentia, pertinacia vel infirmitate male se dabit.

§. LII. Sed inquis, quid mihi proficit principium, in cuius applicacione toties falli possum? Verum quamdiu naturam ingeniumque humanum mutare, ac infallibilia efficere non licet, tamdiu etiam principium illud a quo animo ferendum est, licet ejus applicatio subinde fallat.

§. LIII. Denique hoc (4) quis ob-  
jiceret, ex hoc principio secuturum  
esse, quod ea, quæ clare & distincta  
vel non concipiuntur vel concipere non  
possimus, ac in specie mysteria, vera  
non sint. Sed ad hoc jam respondi-  
mus §. 26. 32. non sunt vera, veritate  
ex propria cognitione dependente,  
seu non scimus, sed credimus illa ve-  
ra, quæ veritas itidem certa erit, si  
de infallibili fide & autoritate dicen-  
tis, ex clara & distincta perceptione  
constet, de quo infra dicemus am-  
plius.

§. LIV. Ridetur rusticus, qui e-  
quo insidens, eum quærebat, dubio  
procul autem ille magis ridendus e-  
rit, qui, cum ei insideat, se insidere se-  
rio neget. Huic verò plane similes  
sunt illi, qui principium laudatum re-  
jiciunt.

§. LV. Nam dum illud improbant,  
codem utuntur, nec enim ob aliam  
causam, illud falsum dicunt, quam  
quia

nique hoc (4) quis ob-  
c principio secuturum  
que clarè & distincte  
inuī vel concipere non  
specie mysteria, vera  
ad hoc jam respondi-  
on sunt vera, veritate  
nitione dependente,  
sed credimus illa ve-  
ritidem certa erit, si  
e & autoritate dicen-  
tis distincta perceptione  
infra dicemus am-

ur rusticus, qui e-  
n quærebat, dubio  
e magis ridendus e-  
siderat, se insidere se-  
c verò plane similes  
ipiū laudatum re-

in illud improbant,  
ec enim ob aliam  
um dicunt, quam  
quia

quia liquido se hoc percipere, arbi-  
trantur, & licet forte verbis, quo  
principium extulimus, abstineant,  
ipsum tamen revera adhibent.

§. LVI. Falluntur tamen in ejus  
applicatione, nunquam enim clarè  
& distincte quis percipiet, quod id,  
quod clarè & distinctè percipio, non  
sit verum. Interim abusus ille &  
bonitatem principii ostendit, & au-  
toribus, geminatum stuporem, quo  
ea re, quam improbant, utuntur,  
sed & male utuntur, objicit.

§. LVII. Quo autem intellectus ad  
claram & distinctam perceptionem  
perveniat, observare debet principia  
præparantia seu promoventia, vid. §.  
23. quorum duo sunt, (1) dubitandum  
est de omnibus, quæ propria cognitione  
sunt percipienda.

§. LVIII. Dico dubitandum esse,  
nam si quis statim omnia, quæ intel-  
lectui objiciuntur, admittenda esse  
putet, is usum rationis velut ejurat,

ac solidæ cognitioni renunciat, quomodo enim de veritate rei poteris esse certus, si eam nondum cognitam statim admittas?

§. LIX. Dubitandum autem est, non ut perpetuo dubites, hoc enim est animi delirantis ac sortem humana abjicientis, sed ut eo accuratius res objectas expendas, & solidam cognitionem, in quantum imbecillitas humna hoc admittit, consequaris.

§. LX. Addo, *dubitandum esse de omnibus*, adeoque etiam de se ipso, de lumine naturali, seu de aptitudine cognoscendi verum, de Deo, nam quod aliqui res quasdam à lege dubitandi excipient, id rationem non habet, cum enim hactenus omnium eadem sit ratio, quod intellectu comprehendantur, par quoque omnium debet esse conditio quoad modum eas admittendi.

§. LXI.

§. LXI. Id tamen facile concedimus, dubitationem non ubique eodem modo esse necessariam, hinc ejus necessitas ex conditione objecti definita est, immo si semel de veritate quadam certo persuasus sis, de ea amplius dubitandum non erit, hinc lumen naturale, semel agnatum, deinceps ut certum presupponitur.

§. LXII. Illi in specie valde inepti sunt, qui dubitationem de Deo, e nomine diffamant, quasi homines athei temporarii fieri jubeantur, nam qui dubitat, ille non negat, sed rem objectam, ut indifferentem, quæ negari & affirmari queat, hancenus considerat, assensumque eo fine suspendit, quo eo solidius deinde alteram partem probare possit.

§. LXIII. Hinc hujus modi dubitantes, non dubitantibus longe meliores censeri debent, nam hos tu-to dixeris vel hypocritas, qui tanto  
C amore

amore Deum se prosequi, videri volunt, ut de eo vel leviter dubitare, grande nefas existiment, vel homines imperitos & superstitiones, quibus Deus in labris solum hæreat, ad intellectum autem non penetraverit, vel superbos, qui res divinas, velut passim obvias, & de quibus nunc animis serò dubitetur, ad minutissimos usque apices se callere ab aliis credi postulent.

§. LXIV. Denique contendo, de omnibus dubitandum esse, quæ *propria cognitione percipienda sunt*, hinc si fide & autoritate alterius aliquid verum credere velis, tum admissa semel ejus autoritate, frustra dein dubitabis de iis omnibus, quæ ab ejus assertione, revera dependent.

§. LXV. Nam quæ alter profert, distincte percipere vel non vis, vel forte etiam non potes, ea tamen pro veris, ob autoritatem dicentis, te esse

se prosequi, videri vo-  
lo vel leviter dubitare,  
existiment, vel homi-  
& superstitiones, qui-  
bris solum hæreat, ad  
item non penetrave-  
s, qui res divinas, ve-  
ras, & de quibus nunc  
potetur, ad minutissi-  
mæ se callere ab aliis  
c.

enique contendo, de-  
andum esse, quæ pro-  
cipienda sunt, hinc  
ate alterius aliquid  
velis, tum admissa  
ritate, frustra dein  
omnibus, quæ ab ejus  
ra dependent.

In quæ alter profert,  
re vel non vis, vel  
potes, ea tamen  
ritatem dicentis, te  
esse

esse habiturum, jam decrevisti, hinc  
tibi ipsi repugnares, si nunc dubitan-  
dum esse contenderes. Ipsa tamen  
alterius autoritas & fides, legem du-  
bitandi subire debet, de quo non ni-  
hil explicatus postea, adde, si lubet,  
*Dn. Thomas. in der Ausübung der  
Bereunffs-Lehre/c. i. §. 28. fqq.*

§. LXVI. Postea principium pro-  
movens est (2) attente esse meditan-  
dum. Hanc meditationem præci-  
pue impediunt inolita præjudicia vel  
præconceptæ opiniones, credulitas,  
nimia fiducia de se ipso, aliorum  
contemptus, præcipitantia, & si quæ  
ejus generis alia sunt, quæ adeo vi  
hujus principii seponi debent.

§. LXVII. E contrario isti prin-  
cipio in primis satis fit, si meditatio-  
nes more ursino velut gignantur, ac  
lambendo magis magisque effor-  
mentur, hinc utile est, per tempo-  
rum intervalla easdem repetere, cum

notum sit, id, quod jam placuit, in curis secundis s<sup>e</sup>pe displicere, ac animum novitate rei objectae distractum, tam accurate omnia contemplari nec posse nec solere, quam cum viribus collectis, de novo eandem rem speculatur, ut dudum in proverbium abierit: *cogitationes posteriores prioribus esse meliores.*

§. LXVIII. Quando juxta has leges intellectus res objectas expendit, tum duplicis generis veritates apprehendit, (1) *inaemonstrabiles*, quæ per rationem aliquam à priori amplius demonstrari nequeunt, sed simplici visione, seu singulari perceptione apprehenduntur. vid. §. 4. Heic statim locum habet *Principium judicans* antea allatum, ac intellectus, ob perceptionis evidentiam, in assensum trahitur, deque veritate percepta certus redditur.

§. LXIX. Vel (2) *demonstrabiles*, quæ à priori , data ratione demonstrari possunt & debent, vid. d. §. 4. Quoad has igitur locum inveniunt principia probantia , seu veritates aliæ, cum veritate demonstranda connexæ, sine quibus mens humana in assensum trahi ac locus principio judicanti fieri nequit.

§.LXX. De his ergo *Principiis probantibus* nunc tertio videndum, vid. §.23. Posse eadem distingui in *vera & falsa* , hactenus quidem perspicuum est, sed hæc principiorum nomen non merentur . sed talia saltē ab errantibus existimantur,hinc de veris solum jam sermo esse debet.

§.LXXI. Hæc nihil aliud sunt, quam veritates cum veritate demonstrabili connexæ, de cætero sunt vel certæ vel *probabiles*, hinc juxta hanc diversitatem , veritas demonstranda etiam diversa erit.

§. LXXII. In genere horum principiorum habitum quod attinet, sunt illa, (1) *varia & multiplicia*, nam unaquæque res propriam habet indeolem, hinc peculiares veritates, eam demonstrantes, oœurrunt. Potest etiam una veritas sæpe pluribus demonstrari rationibus, v.gr. *ego sum*, quia *cogito, ambulo, scribo* &c.

§. LXXIII. Ulterius (2) *sibi subordinari apta*, nam quo ad res ipsas sæpe connexio occurrit, hinc veritates inde ortæ sibi invicem quoque subordinari possunt, ut eadem veritas, nunc principii, seu rei demonstrantis, nunc principiati, seu rei demonstratæ rationem habeat, v.gr. *promissis stare debes*, quia *in genere fides servanda*, hoc vero, quia *nemo laudendus*, & hoc iterum, quia *socialitas ex prescripto juris naturalis, colenda*.

§. LXXIV. Cave tamen, ne universalem subordinationem statuas,

ac

In genere horum principium abitum quod attinet, *aria & multiplicia*, nam est propriam habet in peculiares veritates, rantes, occurunt. P. a veritas saepe pluribus rationibus, v.gr. *ego sum, bulo, scribo &c.*  
Ulterius (2) sibi subordinam quoad res ipsas seccurrit, hinc veritates invicem quoque subdit, ut eadem veritas seu rei demonstrati, seu rei demonstrata habeat, v.gr. *promis- quia in genere fides vero, quia nemo luxerum, quia socialitas naturalis, colenda ave tamen, ne unionem statuas,*

ac

ac primum aliquod principium probans, cui reliqua omnia subordinari possint ac debeat, asseras, nam tanta fuerit ingenii carnificina, si quasvis veritates particulares ad tale principium probans revocare velis, & tamen res tandem non procedet.

§. LXXV. Nam res diversissimæ, & nullo modo inter se connexæ, occurunt, quomodo igitur conceptus inde orti connecti poterunt? aut quomodo, v.gr. veritates circa metallorum explicationem occurrentes, cum veritatibus, moralia respondentibus connectes, aut illas unum principio probanti subjicies? insanum certe ac simul inanem laborem suscipes, si tale quid moliaris.

§. LXXVI. Denique (3) ultimo Principio, quod judicans diximus, subjecta, nam quando intellectus rei demonstranda & principii probantis connexionem, clare & distincte

C4

per-

percipit, tum ob illam perceptio-  
nem sibi ipsi assensum præbet, ac co-  
gnitionem pro vera habet.

§. LXXVII. Supereft *Principium defendens*, ceu vocavimus d. §. 23. Nimirum veritas cognita duplī modo impugnari potest, si vel *simpliciter negetur*, vel cum ea *propositio contradictoria simul adstruatur*.

§. LXXVIII. Primo casū, ex prin-  
cipiis autea allatis defendi debet,  
dum vel rationis, vel singularis per-  
ceptionis evidētia urgetur, adeo-  
que hactenus peculiare principium  
defendens non occurrit, sed secun-  
do casu hoc locum inveniet: *Impos-  
sibile est idem esse & non esse*, quo a-  
deo veritas contra rei contradicto-  
riæ obtrusionem defenditur.

§. LXXIX. In universum de habi-  
tu vulgati illius dicterii ita sentimus,  
esse illud (1) *exemplum veritatis inde-  
monstrabilis*, quæ scil. per aliam ratio-  
nem

nem connexam probari nequeat,  
(2) principium defendens generale, in  
quavis disciplina, & circa quamvis  
veritatem occurrens, ac primo prin-  
cipio judicanti subordinatum , nam  
impossibile esse, ut idem sit, & non  
sit , id verum tandem arbitramur,  
quia hoc clare & distincte percipi-  
mus.

§. LXXX. Id addo, si quis laudatum principium defendens plane o-  
mittere, aut è numero Principio-  
rum expungere velit, eum non val-  
de esse erraturum,nam ut verum fa-  
tear, sicut in primo casu, negatio ad-  
versarii ex principiis antea laudatis  
est evertenda, ita in secundo, vulga-  
tum dicterium , *impossibile est idem*  
*esse & non esse*, nudam continet af-  
fertionem , qua adversario contra-  
dicimus, ejus autem veritas ex Prin-  
cipio Judicante agnoscitur, hinc non

C 5

ram

tam Principium, quam nuda contradic<sup>tio</sup> est.

§. LXXXI. Atque ex istis principiis, quæ explicavimus, in quavis disciplina veritas cognoscitur, & quidem Principia *Judicantia* & *Promoventia* omnibus disciplinis sunt communia, sed *Probantia* cuivis propria.

§. LXXXII. Addemus unicum exemplum ex disciplina morali de promtum, quæritur an *Sempronius* *promissa solvere debeat?* præmissa dubitatione & instituta attenta meditatione, affirmativa his principiis probantibus adstruetur, quia fides data est servanda, cur hoc? quia alias alter ledetur, læsio vero repugnat amori proximi, hunc autem generaliter exigit jus naturale, quia Deus in creatione hominum, conservationem generis humani, & consequenter munum amorem, velut finem, intendit, adeoque humanam naturam formavit social-

*socialem*, quibus omnibus tandem ob claram & distinctam perceptionem assentimur.

**§. LXXXIII.** Ex hactenus dictis, aliorum quoque, de cognoscendi principiis sententiæ, haut difficulter illustrari, explicari vel refelli possent. *vid. Dn. Thomas. introd. ad philos. aul. c. 6. §. 18. seqq. J. J. D. I. I. c. 3. §. 7. 18. 34. seqq. 72. seqq. Einleit. zur Vernunft-Lehre. c. 6. §. 20. seqq.* sed liceat illa nunc brevitatis studio omittere.

**§. LXXXIV.** Quæ hucusque disseruimus, pertinent ad casum, quo quis, circa objectum præsens, propria cognitione veritatem vult acquirere. *Quod si autem fide & autoritate aliorum, aliquid, quod vel omnino non, vel non satis intelligimus, verum credamus, tum manifestum est, quod principia ha-*

ctenus tradita circa ipsam veritatem occurtere nequeant.

§.LXXV. Interim ratione est consentaneum, ut eadem, circa fidem & autoritatem alterius examinandam, adhibeamus, cum enim mens hominibus eo fine à Deo data sit, ut per eam varias res cognoscamus, ideo non temere alterius autoritate veritas stare debet, quodsi tamen eam certis in casibus admittere velis aut debeas, tum in antecessum de ea dubitandum, aliisque cognoscendi mediis illa probanda erit, nam alias obtinebit illud vulgatum, qui facile credit, facile decipitur.

§. LXXXVI. Imo licet autoritatem alterius semel admiseris, nunquam tamen facultas pœnitendi tibi adimitur, hinc si incredibilia tibi proponat, aut alia ratione suspectus fiat, factam concessionem meritò retractabis, ac de ejus fide dubitare

tare incipies, nam ex hypothesi semel admissæ autoritatis, de iis quæ sequuntur, dubitare quidem non potes, sed hypothesis illa non est immutabilis.

§.LXXXVII. In universum quædam credimus autoritate *divina* vel *humana*. Illa sine dubio sunt verissima, quia Deus nos fallere neque potest, neque vult. Sed an autoritas aliqua divina sit nec ne, illud utique ratione, per cognoscendi principia antea laudata, expedendum est.

§.LXXXVIII. In examinanda autoritate humana, consideranda erit tum *persona referens*, tum *res relata*. De cætero pro ratione circumstantiarum factique examinis, id, quod creditus, modo certò, modo *probabiliter verum*, modo *falsum* erit.

§LXXXIX. Nam v. gr. Russos à

Suecis prælio ad Narvam esse superatos, pro certa veritate merito habetur, nam si rem consideres, ad prælium omnia spectarunt, & victoria quoque res possibilis est, si porro personas referentes respicias, toties id relatum est, ut credibile non sit, tot homines in mendacium conspi-  
rassæ,

**S. XC.** Quod autem duo testes, non suspecti & jurati, asserunt, id saltem probabiliter verum est, quamvis in vita civili, pro certa veritate habendum sit, cum ab illo testimonia, ad alia progredi debeamus.

**S. XCI.** Idem dicendum de asser-  
tione Medici, salubritatem medica-  
menti ægroti persuadentis, nam &  
inde probabilem saltem veritatem  
hic consequitur, maximè cum ut  
plurimum ipse Medicus, ex propria  
cognitione, de certa veritate gloriari  
nequeat.

**S. XCII.**

§. XCII. In universum autem, circa fidem aliis habendam, ita dicendum videtur: *Aliquando aliis credere, & quidem statim, debemus, si scil. vel periculum sit in mora, vel quis veritatem propria cognitione acquirere nequeat.*

§. XCIII. Sic ægroto diu dubitare non conceditur, de eo quod Medicus asserit, quod in aliis rebus, citò expediendis, quoque obtinet. Porro discentem credere oportere, jam in proverbium abiit.

§. XCIV. Ulterius, *aliquando aliis credendum quidem, sed non statim,* hoc sit in rebus præteritis, quæque amplius propriæ cognitioni nequeunt subjici, heic enim aliorum fide veritas stat, sed non aliter, quam prævio legitimo fidei alienæ examine.

§. XCV. Quoties autem *objectum præsens est, & nostra interest,* de eo cer-

*certiores reddi, illique cognoscendo  
apti sumus, tum autoritati alienæ ni-  
bil tribui debet, hinc præjudicium  
autoritatis in disciplinis esse valde  
noxiū, cordati dudum admonue-  
runt. add. Autor. art. cogit. p. 4. c. 11.  
12. 13. 14.*

**§. XCVI.** *Quod si mens humana  
ad cognoscendam rerum futurarum  
veritatem se applicet, tum principia  
antea proposita, illis rebus adhiberi  
debent, ex quibus futura conclide-  
re volumus, cum autem plerumque  
connexionem illam clare & distin-  
ctè non percipiamus, hinc etiam  
veritas usplurimum saltem probabi-  
lis est, imo sæpiissime erramus, in-  
terim illa in rebus agendis sufficit,  
add. Autor. art. cogit. d. p. 4. c. 15.*

**§. XCVII.** *Juxta hæc igitur prin-  
cipia in universum, mentem huma-  
nam verum cognoscere putamus.  
Ipfa autem veritas ex rebus, ac inde-  
ortis*

ortis disciplinis realibus acquiritur ac augetur, nam qua ratione quis de novo verum consequitur, eadem etiam alias veritates, jam inventis addit, ut in sanctum sit, si quis, novas veritates sine rebus se invenire posse, existimet. *add.* Thomas. *Einleit.* zur Vernunft-Lehre / c. 12.

§. XCVIII. Ex ipsis porro disciplinis realibus, intelliget mens humana, tum' varietatem rerum. *vid.* Thomas. *introd. ad philos. aulic.* c. 7. tum quid sibi cognitum aut incognitum, *vid.* Thomas. *Einleit.* zur V.L. c. 9. quid certum aut probabile sit, Id. d. l. c. 10. II. Non minus exinde disciplinarum diversitatem, utra scil. altera sit utilior, *vid.* Thomas. in der Ausübung der Vernunft-Lehre/ c. 1. §. 107. seqq. agnoscat,

§. XCIX. De cætero rerum istarum omnium consideratio ad artem cogitandi non pertinet, adeo ut in hac

hac, ne quidem generalem aliquam illarum delineationem faciendam esse existimem, nam ab objectis realibus illa abstrahit, ac nihil nisi mentis operationes, & modum cognoscendi res, explicat.

§. C. Denique disciplinæ reales menti humanæ materiam *meditandi* etiam suppeditabunt, de regulis autem meditandi vel primo meditatiōnis objecto, *vid. Thomas. introd. ad psilos. aulic. c. II. §. 6. seqq.* parum laborandum erit, quando enim intellectus vel dexteritate docentis, vel propria diligentia variarum rerum cognitione imbūtus, ac insuper principiis cognoscendi generalibus instructus est, tum proprio impulsu in meditationes sibi placentes feretur, ut non magis regulæ meditandi, quam edendi & bibendi, videantur necessariae.

CAP.



## CAPUT IV.

DE

# COGITATIONUM HUMANARUM FAL- SITATE.

### §. I.

**F**alsitas est *difformitas conceptus seu idea, & rei conceptae*. Dicitur alias *error*. In rebus nulla est falsitas, sed omnis in intellectu humano existit.

**§. II.** Quando mens in rebus non *concipiendis*, sed *producendis* occupatur, errare illa non potest. V. gr. vox *niger* ex communi impositione notat illum colorem, cuius est corvus, quodsi igitur quis existemet illam notare eum, cuius est cygnus vel nix, tum erraret, quia rem jam existentem aliter concipit, ac illa est.

**§. III.** Ast si quis pro suo arbitrio, voci illi, significatum alium sine aliquorum

orum præjudicio, imponere velit, ut eadem non atrum, sed album colorem notare deberet, tum non erraret, quia rem non conciperet, sed de novo produceret.

§. IV. Idem est, si quis v. gr. *aureum montem*, cogitationibus suis efficeret, hactenus enim non erraret, ast si postmodum rem illam aliter conciperet, ac eam formaverat, tū error aliquis etiam in re facta committeretur.

§. V. De cætero ejusmodi ingenii lusibus, cuius exemplum proxime dedimus, indulgere, magnam utique argueret ineptitudinem, declarandæ tamen *falsitatis* indoli, ejusmodi exempla non inepte adducuntur.

§. VI. Ex dictis etiam fluere videatur, quod nulla falsitas possit esse fortuita, possumus quidem falsum fortuito dicere, ut ejus quod dicimus non

non simus consciī , ast falso conce-  
ptu, sine prævia contemplatione vel  
rei, vel personæ referentis, non pos-  
sumus imbui.

**§. VII.** Ad exemplum Veritatis,  
de qua c. præc. §. 31. etiam falsitas di-  
viditur. Est enim vel *probabilis*, quæ  
speciem veritatis habet , nec certis  
rationibus ostendi potest, vel *certa*,  
eaque vel *indemonstrabilis*, quæ sim-  
plici perceptione intelligitur, vel *de-  
monstrabilis* , quæ per rationes de-  
monstratur.

**§. VIII.** Ab *objecto* falsitas est vel  
*rerum*, quæ scil. ex harum considera-  
tione male facta oritur, vel *sententi-  
arum*, dum in cognoscendis aliorum  
sententiis veris aut falsis fallimur.  
*add.* Thomas. *Einl. zur Vernunft-  
Lehre/ c.s.*

**§. IX.** Debebat autem falsitas à co-  
gitationibus humanis merito abesse,  
& qua quidem ratione illa evitanda  
sit

sit, id ex principiis cognoscendi cap. præc. expositis, intelligi potest. Interim adeo illa non evitatur, ut potius genus humānum erroribus velut obrutum sit, ac dudum in proverbium abierit : *mundum errare ac falsis regi opinionibus.*

§. X. Causas hujus rei strictim, prout illæ succurrent, exponam. Inter eas igitur (1) occurrit *universalis mentis humanae imbecillitas*, ob quam in multarum rerum naturam penitus penetrare illa non potest, hinc varii errores non possunt non ei obrepere.

§. XI. Accedit (2) *peculiaris quorundam stupor seu animi bebetudo*, ob quam paria cum aliis facere non possunt, quantamcunque etiam adhibeant diligentiam , nam hac in parte diversa esse hominum ingenia, quæcunque etiam illius diversitatis causa sit, experientia satis testatur.

statur. Ejusmodi autem homines uti variis erroribus imbui possunt, ita ad eos quoque propagandos valde sunt apti.

§. XII. Præterea (3) magna hominum est negligentia in cognoscenda veritate, plerique ambitioni, avaritiæ ac voluptati sunt dediti, modo igitur intelligent ea, per quæ affectui satisfacere possint, reliqua omnia velut inepta ac inania negligunt, ex quo adeo magna imperitia exoritur, quæ data occasione, plures errores parere potest & solet.

§. XIII. Aliquando talis negligentia ex paupertate oritur, ea enim generis humani est miseria, ut maximæ ejus parti, per omnem vitam cum fame velut luctandum sit, hæc igitur nihil aliud ferè agit, quam ut de hac depellenda sit sollicita, cætera secure ignorat, aut in iis ab aliena fide

fide pendet, adeoque sexcentis erroribus obruitur.

§. XIV. Non minima etiam errorum humanorum causa est, quod (4) res plerumque considerentur non tam prout sunt, quam prout in disciplinis representantur, nam si prima rei repræsentatio forte à veritate aberret, longa erroris successio pertinaxque defensio inde utique metuenda.

§. XV. Evidem non improbo disciplinas, nec jubeo homines, iis neglectis, res ipsas unice intueri, hoc enim possibile non est, cum singulos prius vita sit destitutura, quam ut illi res, rationi humanæ offerendas in aliquem ordinem redigant easque propiori speculationi aptas reddant.

§. XVI. Possimus sane aliorum inventis frui, imo primis autoribus eo nomine gratias debemus. Sed illud

illud absurdum est, quod disciplinæ, prout hic aut ille Philosophus aliusque Autor, eam pro suo captu formavit, mordicus in hæreamus, ab eo que vel in minimis discedere, aut ei aliquid addere vel demere, piaculum existimemus, hæc sane erubescenda est ignavia, ac propugnosa humanitatis velut ejuratio.

§. XVII. Interim ita saepe fit, ex quo nova causa emergit, dum scil. (5) publico stipendio atuntur homines, qui errores tueantur aliosque chimeras, i. e. opinionibus vanis, ac à rerum veritate abeuntibus imbuant, nam ex hypothesi disciplinæ, sine variatione retinendæ, aliter se res habere non potest.

§. XVIII. Præterea non tantum in constitutione disciplinarum, de qua hactenus, sed & (6) aliis in rebus specialibus, aliorum autoritati plus justo tribuitur, dum vele ea, quæ pro-

D

pria

pria cognitione poteramus intelligere, malumus credere , vel in iis admittendis, quæ aliorum fide constant, nimis sumus faciles, eademque, non instituto fidei alienæ legitimo examine, admittimus. Istam vero de aliorum autoritate præceptam opinionem, multorum errorum esse genitricem , dubio caret.

§. XIX. Magna etiam hominum (7) in rebus considerandis solet esse præcipitantia, dum oculo velut fugitivo objecta perlustrant, cogitationesque immaturas non tantum ipsi probant, sed & aliis palam exhibere non verentur. Illa præcipitantia veritati eo magis inimica censeri debet, quo magis in consuetudinem degeneravit.

§. XX. Duo illa, *autoritatis & præcipitantiae* præjudicia Dn. Thomasius in der Einl. zur Vernunft-Lehre/

c. 13.

c.13. §.41. amplius inter se comparat, præcipue ratione originis, etatis & durationis, inter alia existimans, quod illud ex irrationali aliorum amore, hoc ex perversa philautia oriatur.

§.XXI. Sed forte ex hac, utrumque ultimatò dependet, nam aliis, in defendendis eorum sententiis, non aliam ob causam adulari solemus, quam quod commodum aliquod inde speremus, aut rationes nostræ alienis ita sint implicatae, ut citra existimationis, vel alijs boni jacturam, sententiam ab aliis haustam, mutare nos non posse putemus. Sed non attinet de his valde contendere, quia effectum præjudiciorum illorum, quem in impedienda veritate habent, non attingunt.

§. XXII. Illud prætereundum non est, quod (8) vis externali in serendis, propagandis & conservandis errori-

D 2 bus

*bus magnas habeat partes, dum vel media veritatis indagandæ subtrahit, vel etiam homines, quantum potest, falsis opinionibus imbuit.*

§. XXIII. Nimirum dantur multa instituta vel divina vel humana, quæ ad utilitatem generis humani vel aliquam faltem hujus partem, & peculiarem societatem pertinent. Hæc vero malitia humana saepe corruptit, iisdemque ad utilitatem propriam, cum aliorum læsione abutitur.

§. XXIV. Quo igitur ausu ista facit, eodem quoque veritatem supprimit, ne homines corruptionem istam intelligent, & si amplius nihil efficere possit, eos in externa erroris professione retinere, vel saltem à dicenda veritate deterrere laborat.

§. XXV. Id etiam certum, quod (9) error errorem pariat, nam ubi semel

femel à via regiâ defeceris, ex aviis  
in devia deinde facilè prolaberis. In-  
terim talis error cum suis pullis eò  
teneriori affectu fovetur, quo diuti-  
us quis in eodem fuit versatus, nam  
in senectute errores dediscere, nimis  
ignominiosum putatur.

§. XXVI. Inter causas errorum  
quoque referuntur (10) *præjudicia  
vel false opiniones, quibus in pueri-  
tia homines vel prava informatione  
vel propria meditatione imbuuntur,*  
de quo pluribus disserit Dn. Thomas.  
*d. c. 13. §. 1. seqq.*

§. XXVII. Verum uti nolim o-  
mnem vim istis præjudicis planè ab-  
judicare, ita eadem, ad causas erro-  
rum, adultos infestantium, secun-  
darias referenda esse crediderim,  
nam istas pueritiæ nubeculas nativa-  
mentis adultæ bonitas, attentiorque  
meditatio facile discutiet, hinc si  
secus se res habeat, ejus rei causa non

tam illis , quam potius stupori aut incuriae adultiorum tribui debet:  
*add. Autor. Art. Cogit. p.3.c.18.*

**§.XXVIII.** Ex dictis liquido intel-  
 ligi potest , *an & in quantum veri-  
 tas, res odiosa sit?* Nimirum si quis  
 locum velut vacuum occupet , ac  
 veritatem hactenus incognitam ,  
 multisque utilem & nemini damno-  
 sam detegat , is adeo odium non  
 merebitur , ut potius eximio favo-  
 re illum omnes sint prosecuturi.

**§. XXIX.** Ergo illa veritas tantum  
 est odiosa , quæ in aliorum erroribus  
 detegendis occupatur , nam autori-  
 bus , tacite minimum , vel ignaviam  
 vel stuporem exprobrat , quod eò  
 molestius est , quo major eorum au-  
 toritas vulgo habetur.

**§.XXX.** Odiosissima autem est il-  
 la veritas , quæ aliorum delicta , sub  
 specie recti commissa , detegit , nam  
 præcedens , stuporem vel ignaviam ,  
hæc

hæc malitiam autoribus exprobrat,  
ac existimationi velut dicam scribit,  
hinc adeo invisa est, ut plerumque  
magni sceleris nomine diffameretur.

§. XXXI. Ex quibus liquet, nulli  
libi odiosius veritatem dici, quam in  
rebus moralibus, politicis & religio-  
suis, nam hæc in multis adeo depravatae  
sunt, ut de iis scribere, & tamen fa-  
tyram non scribere, intelligentibus  
propemodum sit impossibile.

§. XXXII. Aliquando tamen ve-  
ritas suo merito quoque invisa est.  
De eo non loquor, si quis sub hoc  
nomine, optima quæque falso per-  
stringat, ea enim non veritas, sed in-  
juria est, ingenuam illius faciem tur-  
piter mentita, nec adeo ejus classe  
censenda.

§. XXXIII. Ipsa veritas odium  
meretur, si pravis stipata sit affecti-  
bus, superbia scil. aliorumque con-  
temtu, idque eo magis, quo levior

alios insultandi causa suberat, dum  
iis, velut primis autoribus, aut ob  
rei difficultatem similemque ratio-  
nem, errores videbantur condonan-  
di, aut veritas detecta tanti non e-  
rat, ut in ea salus Græciæ sita existi-  
mari possit.

## CAPUT V.

DE

# COGITATIONUM HUMANARUM VARIE- TATE, AC IN SPECIE DE PRI- MA MENTIS OPERA- TIONE.

## §. I.

**C**Ogitationum Varietas duabus distinctionib⁹ principalibus ex-  
plicari posse videtur. Nam (i) à di-  
versa ad objectum applicatione sunt  
vel fluctuantes, quæ modo objec-  
tum aggrediuntur, modo ab eo-  
dem

dem iterum velut recedunt, ac sibi ipsis diffidunt, quæque *Dubitatum* nomine veniunt, vel *consistentes*, quæ *objecto* constanter & cum fiducia inhærent.

§. II. Hæ sunt *veræ* aut *falsæ*, prout cum re concepta convenientur vel ab ea aberrant; Illæ sunt vel *probabiles* vel *certæ*, eæque rursus vel *demonstrabiles* vel *indemonstrabiles*. Hæ itidem vel *probabiliter* vel *certò falsæ* sunt, harumque falsitas vel rationibus *demonstrari* potest, vel *simplici apprehensione* intelligitur, de quo cap. 3. 4. actum.

§. III. Veræ cogitationis proprium est, ut sit *clara* & *distincta*, nam hæc duo prædicata coincidere existimem, nam in quantum quid clare percipio, in tantum etiam distincte intelligo, licet alii claritatem, ex modo cognitionis, distinctionem, ex objecto videantur aestimare.

D 5

§. IV.

§. IV. Vice versa falsam cogitationem semper comitatur *obscuritas* & *confusio*, quæ duo itidem nobis coincidunt, licet hic etiam alii illam ad modum, hanc *objectionum cognitionis*, referre malint.

§. V. Evidenter errantes se clare & distinctè rem, circa quam errant, concipere existimant. Verum id ex eo est, quod quædam, in quibus non adeo errant, eo modo intelligent, ex quo illi se omnem rem clare concipere, perperam sibi imaginantur, cum circa eam partem, in qua errant, semper obscuritas vel etiam ignorantia occurrat.

§. VI. Nam si v. gr. montem aureum quis clarè se concipere putet, tum conceptus *montis* & *auri* potest esse clarus, exinde præcipitantia asserit claritatem universalem, cum tamen *existentia* penitus non intelligatur,

ligatur, vel etiam de hac plane non cogitetur.

§. VII. Aliquando tamen etiam veritatem comitur obscuritas & confusio, si scil. illa saltem sit probabilis, aliquando illa plane est incognita, si aliorum fide illam credamus add. Thomas. introd. ad philos. aulic. c. 3, §. 43. seqq. Autor. art. cogitand. p. I. c. 8.

§. VIII. Deinde Cogitationes (II.) à diversa objecti consideratione etiam distingui possunt, vel enim mens objecta simpliciter intuetur, vel eadem componit & separat, vel affirmatio- ni & negationi addit rationem seu ideam tertiam, hinc oriuntur tres mentis operationes, vulgo etiam laudatæ, *Prima, Secunda & Tertia.*

§. IX. Vulgaris hæc doctrina nobis omnino verissima videtur, ante quam tamen proprius eam consideremus, tria præmittenda sunt, an

illa sit sufficiens, necessaria ac numero ternario precise concludenda?

§. X. Sufficientiam eo argumento negat Dn. Thomas. d.l. §. 42. quod dubitatio sit omissa. Enimvero hæc non tam notat peculiarem operationem, quam potius operationum memoratarum peculiarem statum, nam tres mentis operationes, modo fluctuantes, modo consistentes esse possunt.

§. XI. Necessitatem Idem in der Einl. zur Vernunft-Lehre/c.3. §. 70. elevat, dum doctrinam de mentis operationibus, non aliud habere usum censet, quam ut vulgaris Logisticarum methodus per eam defendatur.

§. XII. Sed non arbitrarer, doctrinam illam, ob methodum esse excogitatam, quin crederem potius, methodum artis cogitandi, exinde fluxisse, aut saltem fluere debere,

bere, ipsam vero doctrinam ideo necessariam putandam, quod Logicæ vel artis cogitandi sit, explicare cogitationes, adeoque illa diversas mentis operationes omittere nec possit, nec debeat.

§. XIII. Denique tribus operationibus, quartam non recte addi existimo, nam hoc nomine non *peculiaris operatio*, sed potius *precedentium repetitio* vel *conjunction* intelligitur. In specie *methodus*, nomen quartæ mentis operationis non meretur, *vid. Weis. Logic. in preparat. p. 2.* nam illa nihil aliud innuit, quam variarum cogitationum *ordinem* aut *coherentiam*, adeoque peculiaris operatio non est.

§. 14. His præmissis, prima mentis operatio est *simplex rerum apprehensio*, imago inde orta dicitur *idea*, ut, si equum mentis tuæ oculis velut intuearis, ejus imago illi ins�ritur.

mitur. Secunda est duarum idearum compositio vel separatio, v. gr. si ideam albi, de homine prædices, vel quadrupedis de eodem neges. Tertia est, quando affirmatio vel negatio facta, per tertiam ideam probatur, e. gr. si Petrum neges esse lapidem, quia est rationalis.

§. XV. Ulti autem de secunda & tertia mentis operatione non adeò dubitatur, indeoles vero utriusque in sequentibus erit explicanda, ita primæ veritas & natura speciali⁹ paululum erit ostendenda, cū non desint, qui primam mentis operationem vulgarem (quam recte vel explicatam, vel suppositam omnino probo) ad Nonentia referant vid. Thom. J. f. D. l. i. c. i. §. 46. introd. ad philos. aulic. c. 5. §. 9.

§. XVI. Enimvero laudatae operationis veritatem vel id solum ostendit, quod ea negata, reliquæ quoque

que operationes interire videantur, quomodo enim varias res inter se conferre, aut, unam de altera affirmare vel negare, idque vel sine vel cum adjuncta ratione poterit mens humana, nisi sigillatim illarum rerum sit conscientia, aut per apprehensionem simplicem, singularum ideas antea sit consecuta?

§. XVII. Ita ergo comparatum est cum prima mentis operatione, quod ex simplici rerum intuitu, imagines velut in intellectu existent, sine affirmatione & negatione, non aliter ac si quis, v. gr. picturam adspiciat, tum enim illa per oculos menti illuminabitur, adspiciensque eorum omnium, quæ videt, satis conscientius est, nec tamen speciatim hoc aut illud affirmat vel negat.

§. XVIII. Videtur quidem id opponi posse, quod omnes ideas per iudicium acquiramus, nam si v. gr. equus

qvis oculis & menti tuæ objiciatur,  
tacitè minimum affímas , *id quod cerno, est equus* , ast tale judicium  
est secunda mentis operatio!

§. XIX. Sed responderem, quod,  
licet hac ratione idea acquiratur, tam  
men ea contemplatione peractâ,  
idea simplex velut nuda īmago men-  
ti inhæreat, ab eaque amplius adspi-  
ciatur, fine ulteriori affirmatione &  
negatione.

§. XX. Imo dici potest, secundam  
mentis operationem, quæ hic sub-  
esse creditur, revera non adesse, nam  
idem de se ipso prædicare, id non est,  
res diversas componere, sed eandem  
rem simpliciter apprehendere. Tan-  
dem addere licet, judicium perpe-  
ram in sola rerum collatione afferi,  
ceu etiam facit Autor *artis cogit. sub init.* cum illud in simplici appre-  
hensione quoque esse queat.

§. XXI. Porro id opponi potest, in  
idea

idea v. gr. equi multa occurrere, quæ componi vel sejungi queant, puta quod equus sit niger, quadrupes, oculatus, auritus &c. verum exinde prima mentis operatio non destruitur, cum fatis sit, quod illas res mens inter se non conferat, sed simpliciter objectum intueatur.

§. XXII. Ex dictis etiam sequitur, quod in prima mentis operatione detur veritas & falsitas, de quo illas valde disputant, vid. Aut. art. cogit. p. 2. c. 5. p. m. 132. Thomas. in introd. ad p. b. iof. aut. c. 5. §. 9. cur enim ideam v. gr. equi quadrupedis, veram, & bipedis, falsam non existimem? imo si in ideis simplicibus veritas & falsitas non esset, neque illæ in reliquis mentis operationibus occurrerent.

§. XXIII. Dn. Thomasius d. b. c. 3.  
§. 45. putat, primam mentis operationem occupari circa *rerum existentiam*

tiam, add. *Einleit. zur Vernünft-Lehre* c. 3. §. 70. 76. *Enimvero quando mens v. gr. eqvum sibi objectum simpliciter intuetur, tum non magis de eodem prædicat, quod existat, quam, quod sit quadrupes &c. licet horum omnium ex simplici adspectu sit conscientia, hinc non appareat,* quare ad *existentiam* præcise primam mentis operationem restrin gere debeamus.

§. XXIV. Imo cum intellectus non solum de existentia aliquid affirmare vel negare, sed & cætera, quæ in objecto reperiuntur, inter se conferre possit, necessum utique est, ut de iis omnibus, per simplicem apprehensionem, antea ideas sibi formaverit.

§. XXV. De cætero ideæ pro ratione *objectorum* variæ sunt, sed objecta illa non considerat Ars cogitandi: *vid. Autor art. cogit. p. 1. t. 2. 3.*  
Porro

Porro sunt illæ vel *singulares*, alicuius individui, vel *particulares*, v.gr. longitudinis in corpore, vel *universales*, generis & speciei, vid. Id.d.l. c.4.5.

§. XXVI. Id forte etiam admonendum, quod intuitu *Propositionum*, illæ quoque, idæ, simplices existimandæ, quæ principalis Subjecti aut Prædicati locum subeunt, ut ut per incidentem affirmationem & negationem magis determinentur, quorsum pertinent nonnullorum termini *complexi*, vid. Aut. art. cogit. p. 1. c.7. p. 2. c.3. seqq. & vulgarium libellorum logicorum Terminii *Categorematici* & *Syncategorematici*.

§. XXVII. Vulgo quando primam mentis operationem & hinc ortas ideas simplices explicare volunt, ad considerationem *Vocum* fere delabuntur, aut minimum *conceptus* & *voceſ*

voces permiscent, quod cognitio-  
niem valde superficiariam arguit,  
dum umbram præ corpore ample-  
ctuntur, aut eam cum hoc eodem  
loco habent.

**S. XXVIII.** Ut fidem dictis faci-  
am, exempla proferam aliqua. Wei-  
sius in *Logic. in preparat. p. I. § 3.* con-  
tendit: Primam mentis operationem  
cognoscere terminos seu voces simplices  
sine affirmatione & negatione, quaffi-  
scil. mens humana nihil nisi voces  
speculetur.

**S. XXIX.** Hinc ea, quæ S. 4. sequun-  
tar, quod operationibus mentis Logica  
rectitudinem introduceat, ut sine  
metu erroris concipere, dividere, com-  
ponere, disponere, argumentari ac dis-  
serere possint, cum præcedentibus  
non cohærent, si enim, ut hæc vo-  
lebant, mentis operationes ad vo-  
ces saltem pertinent, tam amplius  
finis, ipsam rerum veritatem respi-  
ciens,

ciens , illis deinceps assignari non potest.

§. XXX. Rursus : terminus est vocabulum, in quod resolvitur proposi-  
tio tanquam in subjectum & prædicatum, vid. Jacob. Thomas. Logic. c. 2.  
seqq. terminus unipocus est vox, que multis ita competit, ut non modo no-  
men, sed etiam significatio sit eadem,  
Weis. d. tr. p. I. l. 3. c. 2. §. I.

§. XXXI. Enimvero, licet cogita-  
tiones vel conceptus sine verbis  
esse non soleant , attamen Logica  
non de his sed illis est sollicita, (ver-  
ba enim eorumque significatus tra-  
dere , alijs utique est disciplinæ)  
hinc nimis incongruum est, relicto  
nucleo, sectari corticem.

§. XXXII. Sed non in eam solum  
partem impingunt, verum mox eti-  
am res & voces confundunt, nam  
ut modo dicebatur, terminus est, in  
quem resolvitur propositio tanquam  
in

*in subjectum & prædicatum, add.*  
*Weis. p. I. l. 3. c. I. §. 1.* ita vero terminus non nudum *vocabulum* est! quis enim sibi persuaderi patiatur, prædicata & subjecta, esse meras voices?

**§. XXXIII.** Id etiam falsos arguit conceptus, quod terminus ex eo æstimetur, *quod in illum resolvatur propositio*, nam idea (quam illi sub involucro termini intelligunt) per se velut subsistit, nec ex habitu illo, quem in propositionibus habet, ejus essentia æstimari debet. Fluunt illa ex falsa hypothesi, quā omnia ad Syllogismum ultimatō referenda esse, existimatur.

**§. XXXIV.** Gemina præcedentibus sunt, quando terminū ideo sic dici arbitrantur, *quod propositionis extremitatem utrinque statuat, seu eandem ab utraque parte terminet*, Weis. d. P. I. l. 2. c. I. §. 3. nam & ita,

ita, ex sola ad Propositionem relatione, essentia ideæ aestimatur, præterea termini non tantum terminant propositionem, sed & ejus medium, atque ita eam totam, constituunt.

§.XXXV. Ex his adeò satis liquet, nomen *termini*, in explicatione operationum mentis plane esse expungendum, confusam enim & proletariam cognitionem in docentibus arguit, ac talem etiam discentibus promittit:

§.XXXVI. De cætero cum cogitationes vel conceptus verbis soleant esse alligati, ideo, si quis distinctè cogitare, nec vel sibi ipsi, vel aliis imponere velit, opus est, ut verborum, quibus usurus est, sensum probe intelligat, ne ambiguitas erroribus præbeat occasionem.

§. XXXVII. Multa haec occasio-  
ne de *vocum necessaria definitione seu  
sensu*

*sensu earum accurate circumscriben-  
do, differuit Autor art. cogit. p. I. c. 9. sqq.  
& forte plura, quam res merebatur,  
cum quivis facile intelligat, se debe-  
re uti verbis perspicuis , siquidem  
vel sibi vel aliis errandi causam præ-  
bere nolit. Quando autem Idem  
*d.l. c.12.* de diverso vocum significa-  
tu multa profert, tum utique ea Lo-  
gicæ attexuisse, censendus est, quæ  
ad eam non pertinent.*

## CAPUT VI.

DE

# SECUNDA MENTIS OPERATIONE SEU IDE- ARUM DIVERSARUM COLLATIONE.

§. I.

**Q**uando mens varias ideas , quas  
de rebus, earumque modis, aut  
partibus, vel illarum occasione per  
ab-

abstractionem generaliter sibi formavit, inter se confert, unam dealtera affirmando vel negando, illosque conceptrus eloquitur, tum exoritur *Propositio vel Enunciatio*.

§.II. Harum Propositionum consideratio merito ad Logicam referatur. Vulgo etiam eam prolixè satis instituunt, hinc inde tamen quædam interpolari aut aliter proponi debent. Quamobrem quæ ab aliis jam recte dicta nobis videntur, breviter indicabimus, ac proprias dein observationes pro renata inspergemus.

§.III. *Propositio est, qua quid de alio affirmatur vel negatur.* Ejus partes sunt *subjectum*, de quo aliquid dicitur, *Predicatum*, quod de altero prædicatur, & *copula* in affirmativis, quæ utrumque conjungit, vel *copula negatio*, in negativis, quæ disconvenientiam utriusque exhibet,

E.

Eyanische

Spaß

Stralsund, May 1870

§.IV.

§. IV. Quo ordine subjectum & Prædicatum exhibeatur, nihil refert, cum mens solers utrumque facile dijudicare possit, quocunque demum loco reperiatur, quemadmodum etiam nihil interest, utrum illa aut copula, vel ejus negatio, explicate an implicite ponantur, denique ad rem nihil facit quo locutionis genere conceptus proponantur, licet vulgo quodammodo dissentiant, *vid. Weis. Logic. P. I. L. I. c. I. Author art. cogit. P. 2. c. I.*

§. V. Enunciationi opponunt, *orationem non enunciativam*, quæ nihil certi affirmando vel negando determinet, cuius generis sint *optativæ, interrogativæ, precativæ & imperativæ*, *Weis. d. l.*

§. VI. Sed videtur ellipsis in ejusmodi exemplis subesse, nam si v. gr. dicas, *utinam pax fieret*, vel, *ubi frater*

ter habet prædium, sensus integer est,  
ego sum is qui pacem optat, vel de præ-  
dio querit, ut adeo saltem pars præ-  
dicati exprimatur.

§.VII. Quam varie Propositiones  
dividantur, id ex libellis logicis sa-  
tis constat. Sed quædam divisiones  
*non sunt necessarie*, v. gr. quod  
propositio sit vel binaria, vel terna-  
ria, vid. J. Thomas. *Logic.* c. 25.  
nam ista minutiarum consecratio-  
ne res magis discerpitur quam divi-  
ditur, & si ab externo verborum  
cortice anxiè divisiones sunt con-  
quirendæ, tricarum istarum neque  
finis neque modus erit.

§. VIII. Quædam non adeo sunt  
eruditæ, quo pertinent Propositiones  
*modales & exponibiles*, nam in  
his & denominandis & explicandis  
externa magis, quam interna seu  
nativum earum habitum respiciunt,  
ut mox videbimus.

§.IX. Nobis ita dicendum videatur: Propositiones sunt (I.) Veræ vel Falsæ, (II.) Affirmativæ vel Negativæ, (III.) Universales, Particulares, Indefinitæ & Singulares, (IV.) Simplices vel Compositæ.

§. X. Propositio vera est, quæ cum re convenit, Falsa, quæ ab ea discrepat, qua de re in genere actum c. 3. 4. quæ etiam huc pertinent, add. Weis. d. l. i. c. 2.

§. XI. Propositio affirmans est, quæ subjectum & Prædicatum conjungit, Negans, quæ hoc ab illo separat, quæ separatio, si species externum verborum corticem, variam habet formam, de quo passim agunt, vid. Weis. d. l. c. 3.

§. XII. Aliquando affirmans propositio habet incidentem propositionem negativam, quæ vel prædicatum, vel subjectum, vel utrumque determinat, quæ vulgo solet dici *Infini-*

finita, denominandi ratione non adeò congrua , cum inter affirmans & infinitum , nulla omnino sit convenientia, ac facile exinde error oriri queat, ac si præter affirmantem & negantem, tertia species detur.

§. XIII. Quare rectius appellatio ne planà dicetur , *propositio affirmens negativi prædicati vel subjecti*. Quo loco notandum, tales negationes incidentes, si non semper, certe plerumque virtualiter quoque affirmare , adeoque habitu affirmativo facile posse indui.

§. XIV. Nam v. gr. propositio : *Quicunque non credit, non salvatur, etiam sic proponi potest, Quicunque absque fide Christiana est, is damnatur;* quia non credere &, non salvare, non tantum removet fidem & salutem , sed & simul ponit contraria.

§. XV. Sicut autem dantur pro-

E 3

posi-

positiones affirmantes negativi prædicati & subjecti, ita vice versa occurunt etiam negantes incidente affirmatione stipatae, quæ non minus, quam illæ notari merentur, quamvis, quod sciam, vulgo id haut fiat.

§.XVI. E. gr. *Nullum animal, quod vivit, sustinere potest famem, quæ per longum tempus duret.* In hac propositione negante, & subjectum & prædicatum affirmatione incidente determinatur.

§.XVII. Quia tamen hæc virtu-aliter quoque negat, hinc negativè etiam determinatio fieri potest, hoc modo: *Nullum animal, quod non est mortuum, sustinere potest famem, quæ brevi tempore non sit circumscripta.*

§.XVIII. In genere quoad Propositiones affirmantes & negantes notari debet, quod circa incidentes aliquo modo tetigimus, nempe eas ali-

aliquando simpliciter affirmare & negare, aliquando virtualiter quoque oppositum notare.

§. XIX. Ex qua diversitate sequitur, quod aliquando propositio negans per æquipollentem affirmativam, vel hæc per illam possit exprimi, aliquando autem non possit, quod per exempla declarabimus.

§. XX. Propositio: *omnis homo est animal*, simpliciter affirmat, hinc eam per æquipollentem negativam exprimi non posse putem. Vice versa *N. homo est lapis*, pure negat, nec adeo habitu affirmativo potest indui.

§. XXI. Credit quidem hoc etiam *Dn. Weisius d. l. i. c. 3. §. 5.* dum exēplum propositionis infinitæ, quam vocant, hoc esse putat: *Homo est non Lapis*. Enimvero non sufficit ad propositiones affirmativas negativi prædicati efficiendas, negationem

prædicato addere, sed hoc præcipue attendi debet, an maneat sensus verborum, jam verò *Non lapis* in allata propositione nihil significat.

**§. XXII.** Illa verò propositio: *O. Cives pestie possunt esse mortui,* virtualiter negat, hinc evadit propositio negativa æquipollens: *N. Civis post pestem potest vivere,* vel etiam affirmans negativi prædicati: *O. Cives post pestem possunt esse non videntes,* i.e. mortui.

**§. XXIII.** Eadem est ratio hujus propositionis: *N. miles potest vigilare,* quæ virtualiter affirmat, hinc vel ita reddi potest *O. miles potest dormire,* vel hoc modo: *O. miles potest esse non vigilans,* i.e. dormiens.

**§. XXIV.** Toties autem propositiones negativæ virtualiter affirmare, vel affirmativæ negare videntur, quoties prædicata affirmando aut ne-

neganda , habent *specialia opposita*, his deficientibus simpliciter negant aut affirmant.

§. XXV. Sic *vita & mors, vigilia & somnus*, sibi opponuntur hinc, uno affirmato aut negato, alterum tacite negatur vel affirmatur, ceu ex §. 22. & 23. intelligitur, ast *animal & lapis* in exemplis §. 20. datis, talia opposita non habent, adeoque simplex affirmatio & negatio in iis occurrit. Cæterum dicta eo sensu faltem sunt exaudienda, quod non quævis propositio habitu contrario queat indui, nam aliæ ex quavis propositione, contrarius sensus elici potest, *vid. cap. 7. §. 29. seqq.*

§. XXVI. Ex his liquet, errare eos, qui putant hanc propositionem: *possibile est nullum c idem vigilare, non esse negantem, sed affirmantem & infinitam*, cum ita resolvatur: *O. Ci-*

*vis potest non vigilare*, vid. Weis. I. I.  
c. 9. § 6. n. 3.

§. XXVII. Nam illa resolutio saltem ostendit , quod sensus allatæ propositionis , etiam affirmatione, eaque vel infinita , juxta exemplum datum, vel pura ; O. *Civis potest dormire*, possit exprimi ; ipsam vero propositionem, negativam non esse, neutiquam probat , quare juxta principia & rationes antea allatas, potius dicendum , quod utroque modo, affirmativè scil. & negativè, propositio illa possit concipi.

§. XXVIII. Geminus error est illorum , qui *negativas propositiones plane rejiciendas esse existimant*, ideo quod in infinitas resoluti posse videantur , cuius meminit Weisius I. I. c. 3.

§. 5. n. 4. nam etiamsi talis resolutio esset possibilis, tamen ideo negativæ non penitus cessarent, sed id solum sequeretur , eas per affirmativam aqui-

æquipollentem quoque posse ex-  
primi.

§.XXIX. Deinde falsum est, quod omnis negativa in affirmantem pos- sit converti. In specie fallit exem-  
plum jactatum : *Leo non est equus,*  
quod sic resolvitur : *Leo est id quod  
non est equus,* seu quod eodem re-  
cudit, (hinc adjicere illud liceat) *Leo  
est non equus.*

§.XXX. Nam prædicatum nega-  
tivum : *id quod non est equus,* sive  
*Non equus,* nihil significat, hinc cum  
subjecto etiam componi nequit,  
nam *equus* non habet speciale op-  
positum, quod nomine *Non equi*  
possit exprimi, & cum Leone com-  
poni.

§.XXXI. Clarius: *Non equus vel  
nihil notat, vel rem specialem equo  
oppositam, vel resonnes, quæ in hoc  
universo occurrunt, ac equo oppo-  
ni possunt.* Juxta primum respectum

nulla potest fieri compositio, juxta secundum non aliter, quam si illa res ejusque cum Leone convenientia in antecessum ostendatur, juxta tertium, compositio est penitus inepta.

§. XXXII. Quid enim: *Lea est id quod non est equus*, i.e. aut est homo, aut Sol, Luna, Stella &c. nam illa omnia non sunt equus! ex quo liquet, quam incongruum sit, externa saltem sectari, ac ex habitu verborum diverso, propositionum indolem aestmare.

§. XXXIII. Gravissima autem difficultas, quam insuper propositionum negatiivarum veritati obstare putat Weisius d. §.5. n.8. *quod scil. in illis nulla sit copula*, non valde gravis videtur, nam ad essentiam propositionum in genere, frustra *copula* requiritur, cum ea in affirmantibus saltem sit necessaria, negatiæ autem

tem ex defectu copulae aestimari debeant.

§. XXXIV. Tertiò Propositiones sunt *Universales*, quæ subjectum habent universale, *Particulares*, quæ particulare, *Indefinitæ*, quæ sine signo quantitatis, nunc illud nunc hoc habent, & *Singulares*, quæ singulare seu individuum continent.

§. XXXV. Solent, hac occasione de signis quantitatum varia differere Logici, vid. Weis. d. l. c. 4. J. Thomas. Log. c. 27. vel etiam alias observationes quantitati dijudicandæ necessariae suppeditare, vid. Autor Art. cogit. p. 2. c. 10. verum si quis accurate singulas propositiones expendat, & non tam verba, quam sensum intueatur, istis omnibus facile carabit.

§. XXXVI. Licet autem Propositionum quantitas ex Subjecto aestimetur, attamen Prædicatum non

penitus negligendum videbatur, ceu vulgo in hac tractatione fieri solet, nam & hujus quantitatem observasse, utile est, & crediderim ex disquisitionis hujus neglectu varios errores tam in doctrina conversionis, quam Syllogistica esse exortos, quos suis locis videbimus.

XXXVII. Breviter itaque observandum, in Propositionibus affirmativis, licet universalibus, Prædicatum plerumque esse *particulare*, tribuique subjecto secundum totam quidem suam *comprehensionem*, non vero *extensionem*.

§. XXXVIII. Sic in hac propositione: *O. Homo est animal*, prædicatum particulare est, nam tribuitur quidem subjecto secundum totam comprehensionem, (i.e. nihil idea animalis comprehendit, quod non prædicitur de homine) at non totam extensionem suam, nam animal

mal non ad solum hominem restrin-  
gitur , sed alia quoque subjecta ex-  
tenditur.

§.XXXIX. E contrario in propo-  
sitionibus negativis, licet particula-  
ribus , plerumque Prædicatum est  
*Universale*, ac tam secundum com-  
prehensionem , quam extensionem  
suam totam , à Subjecto remo-  
vetur.

§. XL, E. gr. *Nullus homo est la-  
pis*, aut *Q. Homo non est medicus*. In  
utraque propositione prædicatum  
est universale, nam quicquid idea  
lapidis in se comprehendit , aut  
quam late illa etiam se extendat, id  
omne tamen ab Homine arcetur,sí-  
cut in altera propositione , omne il-  
lud quod medicum facit, quodque  
alias ad plura subjecta extēnditur,de  
quodam homine negatur.

§.XLI. Interim non putarem af-  
firmationem vel negationem ipsam,  
di-

diversam illam Prædicati quantitatem necessario postulare, sed crediderim potius, id omne à diverso rerum & idearum habitu oriri, affirmationi vero & negationi, Prædicati quantitatem esse velut indifferenterem.

§. XLII. Nam plerumque Prædicata subjectis sunt latiora, quod si igitur illa cum his componas, non poterit non prædicatum particulare inde emergere, dum unicè ad subjectum restringi nequit, sed ad alia quoque extendi aptum manet.

§. XLIII. Ast si prædicatum à subjecto removeas, universale illud erit, cum quicquid in ejus vel comprehensione vel extensione est, ab hoc sejungatur, nec imminuit universalitatem, quod idem ab aliis subjectis quoque removeatur, nam si prædicatum aliis etiam conveniat, tum quidem uni subjecto non potest dici

dici universaliter tributum, verum si de multis negetur, potest nihil omnino de certo aliquo subjecto universaliter quoque negari.

**§. XLIV.** Quodsi habitus attributi permittat, poterit aliquando propositio affirmativa, prædicatum universale, & negativa, particulare habere, nihil enim obstat, quo minus aliquando totum alteri jungere, vel partem ab eodem removere queas.

**§. XLV.** Hæc itaque propositio:  
*O. Homo est risibilis*, habet prædicatum universale, si risibilitatem pro hominis proprio habeas, sicut hæ: *Nullus Turca est homo*, scil. Christianus; vel *Q. medicus non est homo quidam*, prædicatum particulare continent, dum pars solum comprehensionis & extensionis removetur.

**§. XLVI.** Denique Propositiones sunt

sunt vel *Simplices*, quæ uno subjecto & Prædicato principali constant, vel *Composite*, quæ plura subjecta aut prædicata principalia habent.

§.XLVII. Illæ iterum sunt vel *pure*, in quibus subjectum & prædicatum simpliciter exhibentur, v.g. *Q. homo est doctus*, vel *complexæ*, in quibus subjectum aut prædicatum vel utrumque propositione incidente determinatur, v.g. *O. Homo, qui vivit Deo, est felix*.

§.XLVIII. De puris nihil amplius dicendum. Circa complexas verò notandum, quod propositio incidens vel *subjectum* vel *attributum* vel *utrumque* afficiat. Exempla facile formari possunt, pluribus etiam illa persequitur Autor *art. cogit. p.2. c.3.4.9.* quæ huc transscribere non attinet.

§.XLIX. Id nihil refert, sive propositio incidens sit affirmans sive negans

gans, vid. §. 12. seqq. sive vera sive falsa, nam hæc falsitas veritati propositionis principalis non obest, sic vera est assertio ratione intentionis primariae : *Mahomeht, qui per aliquot annos Romæ Pontificatum tenuit, est magnus ille Turcarum Propheta,* add. Author art. cogit, d. p. 2. c. 5.

§. L. Præterea persuasum est laudato Autori d. l. c. 3. § 6. dari etiam complexionem, quæ neque subiectum neque attributum, sed ipsam formam, i. e. affirmationem aut negationem afficiant, quod tamen non admiserim, cum allata exempla id haut probent.

§. LI. Nam in propositione : *sustineo terram esse rotundam, frustra suslineo* in affirmationem cadere existimatur, cum pertineat ad prædicatum, qui enim ita loquitur, & de rei veritate & sua sententia testari vult eo sensu : *terra est rotunda,* & hanc sen-

*sententiam ego quoque sustineo.*

§. LII. Eadem est ratio cæterorum exemplorum : *Astronomorum rationes nobis persuadent, solem multo majorem esse terrâ, item: omnes philosophi afferunt, gravia sua sponte deorsum cadere, nam & in iis de sole & rebus gravibus veritas & Astronomorum Philosophorumque sententia, vel etiam hæc sola prædictatur.*

§. LIII. Ad propositiones complexas, etiam pertinent illæ , quas vulgo *Modales & Exponibiles* vocant, in doctrina autem vulgari merito reprehendas , quod incongruè eas denominant, ac in iis explicandis, ad verba magis , eaque saltem latina, quam rem & sensum respiciant.

§. LIV. Denominationes sunt ambiguæ, superficiariæ verumque propositionum illarum habitum , non tantum non indicant , sed & eum in-

involvunt, ab eoque proprius cognoscendo, tirones abducunt.

§. LV. Ex mente utentium, appellationes illæ sunt speciales, sed in rei veritate sunt generales, omnis enim propositio, quæ determinacionem habet adjunctam, potest vocari *modalis*, sicut etiam quævis enunciationis, *exponibilis*, seu exponi apta est, nec ulla suppetit ratio, cur certis saltem enunciationibus illa nomina vindicare debeamus. Denique aptitudo admittendi expositionem, propositionibus saltem accidentalis est, à qua adeò denominatio incongruè desumitur.

§. LVI. Deinde circa externa solum hærent; *Propositio modalis est, quæ anteposita habet aliquam particulam modalem.* Exponibilis in qua reperitur *particula exponibilis*, vid. J. Thomas. *Log. c. 29. 30.* Weis. *Logic. p. I. l. I. c. 9.* Rursus, *modalis est vel composita,*

posita, quæ modum gerit in capite vel fine; necesse est hominem sentire, aut hominem sentire necessarium est, vel divisa, quæ modum gerit in medio: Homo necessario sentit, vid. Weis. d. l. §. 3. quæ omnia ad externum corticem spectant, sensum autem non attingunt.

§. LVII. Non est igitur, cur vulgarem illam denominandi & docendi rationem sectemur, Rectius propositiones illæ modales & exponibiles, generali *propositionum complexarum* nomine comprehenduntur, earumque natura inde æstimatur, quod gaudeant aliqua propositione incidente, quæ vel subjectum vel prædicatum determinet.

§. LVIII. Hoc sane per omnia exempla facile ostenditur. Modalium hæc esse solent (1) *Necesse est sentientem vivere*, i. e. *sentiens vivit*, idque *necessariò*, (2) *contingit viventem ergo*

*grotare, i.e. vivens & grotat, aliquando vel nonnunquam, (3) impossibile est mortuum & grotare, i.e. mortuus nec & grotat nec & grotare potest, (4) possibile est & grotum convalescere, i.e. & grotus convalescit aliquando, vid. Weis. d.l.i.c.9.*

§. LIX. Nihil ergo peculiare hic est ! Porro veritas aut falsitas ejusmodi propositionum ex consuetis principiis judicanda est, & fieri aliquando potest, ut propositio incidentis saltem sit falsa, aliquando, ut principalis quoque falsitate laboret.

§. LX. Hinc regula vulgaris : *veritas & falsitas modalium judicatur ex modo potius, quam ex dicto, vid. Weis. d.l. §. 5.* rectius rejicitur quam retinetur, nam perinde in dicto quam in modo veritas & falsitas esse potest, v. gr. *Necesse est sentientem vivere, tam ratione modi quam dicti, verum est, sicut hæc propositio : Necesse est*

mor-

*mortuum egrotare, utroque respectu est falsa.*

§. LXI. Nec melior videtur altera regula: *qualitas itidem judicatur ex modo, non ex dicto,* Weis. d. I. §. 6. nam affirmatio & negatio ex copula, vel ejus defectu estimari debet, modus autem est pars prædicati.

§. LXII. Nec obstat, quod *annexam affirmationem vel negationem babere censeatur*, nam hoc falsum est; In hac propositione: *sentiens necessario vivit*, copula non magis τῷ necessariῷ, quam τῷ vivit, est annexa, subsistit illa per se, ac prædicatum cum suo modo, copulat subjecto, cæterorum eadem est ratio.

§. LXIII. Frustra igitua, *necessē, possibile, contingit*, promodis affirmantibus habentur, nam si copula accedat, fit affirmatio, si deficiat, negatio, adeoque ad utramque modi illi indifferenter se habent, quod nec vulgo

vulgo diffiteri possunt, quando, *necessè non, contingit non*, pro modis negativis habent; modus *impossibile* negationem quoque adjunctam habet, adeoque non *modus*, sed *adjuncta* particula *non* negat.

§.LXIV. Id etiam otiosum, quando *negationem non ad universum dictum, sed modum pertinere*, admoneatur, nam utut aliquando ita se res habeat, attamen accidentale id solum est, nec desunt exempla ubi ad dictum quoque negatio pertinet, v. gr. *impossibile est mortuum agrotare*: quare sine *præconceptis opinionibus*, ex *specialibus exemplis*, omnis res dijudicanda.

§.LXV. Id rectius dicitur, quod *modus quantitatem non mutet*, Weis. d. l. §. 7. nam *quantitas ex subjecto principali æstimatur*, adeoque modus, quem vocant, in propositionem

universalem, particularem & singularem incidere potest.

§. LXVI. Exponibilium propositionum quatuor species plerumque constitunntur. Sunt enim *Exclusivæ*, ut: Solus homo est Consul; *Exceptivæ* O. Europæ Reges, præter Turcam sunt Christiani; *Restrictivæ*, Leopoldus, quatenus Imperator, gerit Aquilam, & *Comparativæ*; Plato est antiquior Cicerone, *vid. Weis. d. I. 1. c. 10.*

§. LXVII. Sed cum manifestum sit, quod nihil aliud hic fiat, quam quod subjectum aut prædicatum propositione incidente determinetur, non est, cur exponibiles classi propositionum complexarum extimere, easque scorsim referre debeamus.

§. LXVIII. Præcedentibus addunt nonnulli *inceptivas*, qui se convertit ad Deum, peccati gravitatem sentire in-

incipit, & *desitivas*, qui est justificatus, non est amplius sub dominio peccati, *vid. Autor art. cogit. p. 2. c. 8.* sed operæ pretium non est, ob levia ejusmodi discrimina novas species novaque comininisci nomina.

§. LXIX. Supersunt Propositiones *compositæ*, *vid. §. 46.* In hunc censum referunt (1) *Hypotheticas*, quando uni subjecto duplex prædicatum, & alterum quidem sub alterius conditione, tribuitur: *Si avis volat, habet pennas.* Veritas & falsitas non estimatur ex convenientia & disconvenientia prædicatorum & subjecti, sed ex illorum inter se connexione necessaria vel non necessaria.

§. LXX. Porro (2) *disjunctivas*, quando uni subjecto alternativè diversa prædicata tribuuntur; *aut dies est, aut nox est*, quæ si veræ esse debent, tertium prædicatum haut adsit; oportet.

§.LXXI. Denique (3) *Copulativas*, quando uni prædicato conjunctim plura prædicata tribuuntur: *Aristoteles & Mathematicus fuit, & Politicus.* Possunt etiam plures species occurrere, *vid. Autor. art. cogit. p. 2. c. 7.* aut priores conjungi, de quibus multa dicer non attinet. *vid. Weis, d.l.i.c.5. J. Thomas, Log. c.31. Ullman, Synops. Log. l.2. c.7.*

## CAPUT VII. DE PROPOSITIONUM AFFECTIONIBUS.

### S. I.

**H**Oc nomine vulgo veniunt *Conversio, Subalternatio, Aequipollentia & Oppositio*, quas etiam breviter considerabimus, cum vulgaris doctrina hinc inde emendationem mereri videatur, de quo adeo sen-

tentiam dicere , non incongruum fuerit,

§. II. *Conversio* est, quando prædicatum in subjecti , & hoc in illius locum transponitur salva veritate. Fit autem transpositio talis eo fine, quo habitum & quantitatem subjecti & prædicati eò rectius intelligamus, adeoque tale convertendi exercitium, inutile censeri non debet.

§. III. Nihil autem aliud agit *Conversio*, quam ut simpliciter prædicatum & subjectum transponat , hinc nec qualitatem nec quantitatem iis largitur, aut eas mutat, sed prout reperit, ita convertit. Ex quo necessariò sequitur, conversionem esse uniformem , ac omnes propositiones eodem plane modo converti.

§. IV. Per exempla hoc illustrabimus ; (1) *N. homo est lapis* (universaliiter) *E. N. lapis est homo.* (2) *Q. ho-*

*me non est medicus (omnis) E. O. me-  
dicus non est homo quidam, seu N. me-  
dicus est homo quidam, i. e. omne id,  
quod medicum facit, à quodam ho-  
mine, v.gr. Rustico, sutore, sartore,  
quà tali, removetur. (3) Hic Petrus  
non est doctus, (omnis) E. omnis do-  
ctus non est hic Petrus.*

§. V. Ulterius (4) *O. homo est ani-  
mal (quoddam) E. Q. animal est ho-  
mo. (5) Q. homo currit (particulari-  
ter) E. Q. currens est homo.. (6) Hic  
Paulus est doctus (quidam) E. Q. do-  
ctus est hic Paulus.*

§. VI. In omnibus his exemplis  
subjectum cum sua quantitate in lo-  
cum prædicati, & hoc, eodem mo-  
do in illius sedem transponitur, ut  
nulla penitus ratio solida apapreat,  
quare conversionem in diversas spe-  
cies divellere debeamus.

§. VII. Vulgo tamen aliter senti-  
unt, quando triplicem conversio-  
nem,

nem, nempe *simplicem*, qua propositio universalis negans, & particularis affirmans, *per accidens*, qua universalis affirmans, ac *per contrapositionem*, qua itidem universalis affirmans & particularis negans convertatur, adstruunt, juxta vulgare carmen : *fEcI simpliciter convertitur, uvA per accid. AstO per contrap. sic fit conversio tota. vid. Thomas. Logic.c.35.*  
*Ullman. Sjnopf. Log.l.2.c.6.*

§. VIII. Enimvero *conversio per accidens* & *per contrapositionem* gratis asseritur, nam *conversio propositionis affirmantis universalis*, perinde simplex est, ac ea, qua universalis negans convertitur, licet post eam, subjectum sit particulare, conversionis enim hic nulla culpa est, quæ quantitatem , quæ non adest, largiri nec potest, nec debet.

§. IX. Sive Gigantes inter se sedes permutent, sive Gigas & Pygmæ-

us, permutatio utrobique eadem est, par ratio est, sive subjectum & prædicatum universale transponatur, sive subjectum universale & prædicatum particulare.

§.X. Imo aliquando in propositionibus universalibus affirmativis, prædicatum etiam est universale, v. gr. *O. homo est rationalis*, hinc prorsus, ut in negativis, etiam post conversionem, subjectum universale adest: *O. rationale est homo*, cur ergo hæc conversio non perinde simplex sit, ac illa, quæ negativam universalem convertit?

§.XI. Ajunt, illa conversio fit beneficio materiæ, non formæ, adeoque attendi non debet, vid. Jac. Thomas. c.35. §.25. sed utique attendenda est, cum omnis propositionum conversarum quantitas sit à materia. Et iam in negativis universalibus à materia est, quod post conversionem, sub-

subjectum sit universale, vertet ut & centies verte terminos, forma ipsa conversionis quantitatem non mutabit.

§ XII. Quod autem Autor art. cogit. p. 2. c. 14. in fin. putet, conversionis præcedentis exemplum & similia, cum tantum vera sint, in casibus particularibus, pro veris conversionibus non haberi, quæ certe & infallibilis esse debeant, per solam terminorum constructionem, id vulgare redolet principium & valde ineptum est.

§. XIII. Nam quantitas subjecti & prædicati, conversioni est indiferens, hinc si utrumque sit universale, vel plerumque, vel aliquando, tum quantitati convenienter etiam convertitur, si alterum universale, alterum particulare sit, tum conversio hinc etiam quantitati est attemporanda, ubique autem est certa &

F. 5

in-

infallibilis, licet terminorum quantitas sit diversa.

§. XIV. Error vulgaris doctrinæ, nisi fallor, inde est, quod existimaverint, ad conversionem simplicem requiri, ut prædicatum assumat signum & quantitatem subjecti, quod exempla propositionis universalis negantis, & particularis affirmantis, obiter expensa, persuadere poterant, utpote eodem signo, quo ante conversionem gaudebant, etiam post illam superbientia.

§. XV. Cum verò in propositionibus affirmantibus universalibus, prædicatum in subjecti sedem transponendum, signum universale regulariter ferre, adeoque, ut vulgo quidem arbitrantur, signum subjecti assumere nequeat, hinc crediderunt forte, deficere necessarium conversionis simplicis requisitum, adeoque novam speciem, conversionem per accidens.

*cidens*, scil. necessario esse statuendam.

§. XVI. Eniverò si ita ratiocinati sunt (quod quidem certò non dixerim, nec tamen aliam doctrinæ vulgaris causam temerè reperias) tum stuporem vel oscitantiam eo ipso satis adprobant, nam falsum utique est, quod prædicatum assumat quantitatem subjecti, gaudet potius illud propria quantitate, quam etiam secum in subjecti sedem transfert, hoc autem cum in omnibus exemplis fiat, meritò uniformis conversio assertur.

§. XVII. Dn. Weisius in *Log.P.I.I.* c.8. in vulgari carmine, loco *una*, utitur *AntE*, adeoque propositiones universales negativas, etiam per accidens posse converti arbitratur, h.m. *N. Superbia est virtus E. Q. virtus non est superbia.*

§. XVIII. Sed hoc meritò erro-

F'6

neum

neum dixeris, nam ultima proposi-  
tio *vera* quidem est, sed non *conver-*  
*sa*, nam in prima propositione, præ-  
dicatum *Virtus* sumitur universaliter,  
ergo hanc quantitatem, juxta le-  
ges genuinæ conversionis, in secun-  
da propositione debet retinere.

§. XIX. Conversionem per con-  
trapositionem quod attinet, facile  
ostendi potest, (1) exempla heic ja-  
ctari solita, posse converti simplici-  
ter; (2) conversionem per contrapo-  
sitionem, revera non esse conver-  
sionem ; interim (3) putativam istam  
conversionem non in universali af-  
firmante, & particulari negante so-  
lum, ut vulgo creditur, sed in omni-  
bus potius propositionibus locum  
habere posse, ut in omnem partem  
misera illa conversio impingere vi-  
deatur.

§. XX. Primum jam probavi §. 4.  
n. 2. §. 5. n. 4. nec poterit dari exem-  
plum

plum in contrarium. Ipse J. Thomas. d.c.35. §.18. fateri cogitur, hanc propositionem: *Q. animal non est quadrupes*, posse simplicissime ita converti E. *Q. quadrupes non est animal*, addit tamen, evenire hoc per accidentem. Et beneficio materiae non vero beneficium formae, cum sexcenta possint dari exempla, in quibus ista convertenda ratio fallat.

§. XXI. Enimvero uti confessio-  
nē de possibilitate conversionis sim-  
plicis acceptamq; ita celebris hic Peri-  
pateticus, tam in exemplo allatae con-  
versionis, quam ejus ratione redden-  
da fallitur.

§. XXII. Nam *prædicatum* datae  
propositionis convertendæ, est uni-  
versale, hinc conversio ita debebat  
fieri, E. *nullum quadrupes est animal*  
*quoddam*, i. e. tota quadrupedis idea,  
sive illa in sella occurrat (quod ex-  
emplum *Thomasius* suppeditat) sive

in aliquo animali, removetur à quodam animali, v. g. Gallo.

§. XXIII. Deinde errat, quando conversionem simplicem (a se quidem non recte factam, sub falso tamen conceptu generaliter erroris postulatanu) *accidentalem, fortuitam,* & *fallacem* arbitratur, sane nullum exemplum, si modo quantitas prædicati observetur, quod vulgo negligunt, dari poterit, quin simplex conversio optime se habeat.

§. XXIV. Sane unicum illud exemplum, quod ex sexcentis, quæ sibi suppetere existimabat, protulit Thomasius, absurditatem laudatæ conversionis simplicis non evincit. Putat in hoc exemplo : *Quoddam animal non est Equus. E. Quidam equus non est animal;* posteriorem propositionem esse falsam.

§. XXV. Sed dummodo circa prædicatum, *animal*, quantitas observeatur,

tur, nulla falsitas adest; interim circa quantitatem subjecti etiam est erratum, hinc ita potius conversio facienda erat. *E. nullus equus est animal quoddam*, i. e. tota idea equi à quodam animali, v. gr. gallina, lepore &c. removetur, quid verius?

§. XXVI. Eandem cum Peripateticis inflat tibiam Autor *art. cogit. p. 2. c. 16.* quando hanc propositionem : *quidam homo non est medicus*, simpliciter converti posse negat, quia scil. arbitratur, in propositione negativa, prædicatum semper universaliter esse removendum, juxta quem sensum propositio *conversa* (seu *convertens*, ut Peripatetici loqui jubent) utique foret falsa.

§. XXVII. Verum illud præsuppositum nulla ratione probavit, hinc conversio recte sic fiet, *E. nullus medicus est homo quidam*, i.e. tota medici idea

idea ab homine quodam removetur.

*Vid. §. 4. n. 2.*

§. XXVIII. Idem fallitur, quando aliquando per accidens, conversionem simplicem bene se habere existimat, v. gr. *quidam sapientes non sunt pii*, & : *quidam pii non sunt sapientes*, nam uti conversio hic non est recte facta, cum dicendum sit : *Nulli pii sunt sapientes quidam*, ita eam rite institutam & intellectam, semper bene se habere, certum est.

§. XXIX. Postea probandum, quod conversio per contrapositionem, plane non sit conversio ; sic incedunt : *O. virtus est laudanda E. quicquid non est laudandum (quoddam) non est virtus*, *Vid. Weis. p. I. l. i. c. 8. §. 5.* Sed ita non convertitur data propositio, verum virtualis negatio, quæ in affirmatione latebat, exprimitur.

§. XXX. Nam ita est ; quicunque ideam

ideam virtutis & rei laudandæ componit, is tacitè contendit, quod omne id, à quo idea laudandi removetur, virtus non sit.

§. XXXI. Interim expressio ejus, quod tacite fiebat, non est conversio, & qui foret, cum alia omnino & quantitas & qualitas adsit? nam propositio convertenda est affirmativa & prædicati particularis, sed hæc putativa convertens, habet subiectum universale, & negat! hinc vera conversio non alia quam hæc est: *E. quoddam laudandum est omnis virtus.*

§. XXXII. Porro propositionem particularem neganteim sic convertunt: *quoddam animal non est equus* *E. quoddam quod non est equus, est animal,* vid. Thomas. d. c. 35. §. 20. vel: *quædam virtus non honoratur* *E. quoddam, quod non honoratur, est virtus,* vid. Weif. d. c. 8. §. 5.

§. XXXIII.

§. XXXIII. Nullam hic esse conversionem, sed affirmationis, quæ negationem consequitur, expressionem, manifestum est, interim ne hæc quidem recte facta est, nam sic potius dicendum erat : *E. quicquid est equus, est id, quod non est animal quoddam, vel : quicquid honoratur, est id, quod non est virtus quædam.*

§. XXXIV. Qui enim negat, quodam animal esse equum, aut, quandam virtutem honorari, ille per consequiam ait, omnem equi vel honorati ideam, à quodam animali vel virtute removeri.

§. XXXV. Denique probandum, quod etiam reliquæ propositiones, conversione per contrapositionem, quam vocant, converti queant, v.gr. *N. homo est lapis, E. quicquid est lapis, est id quod non est homo.*

§. XXXVI. Porro : *quidam homo est doctus, E. quicquid non est quoddam doctum*

*doctum, non est homo quidam, dum e-*  
*nim idea cuiusdam hominis & docti*  
*combinatur, exinde utique conse-*  
*quitur, quod id, quod ideam docti*  
*non admittit, nec hominis cuius-*  
*dam admittere queat,*

§. XXXVII. Sic satis demonstrata  
 videntur ea, de quibus §. 19. diximus.  
Quod si tamen quis omnino conver-  
sione in per contrapositionem, pro  
vera conversione habere velit, tum  
id minimum ex dictis liquet, quod  
illa conversioni simplici, velut spe-  
cies peculiaris, nequeat opponi, sed  
quod potius cum hac semper con-  
curret, v. gr. Omnis homo est animal,  
E. quoddam animal est homo omnis,  
& consequenter quicquid non est a-  
nimal quoddam, non est homo, & sic in  
cæteris.

§. XXXVIII. Illud recte vulgo ob-  
 servatur, cavendum esse in conver-  
 sione, ne terminorum acceptio mu-  
 tetur,

tetur, aut prædicatum mutilem convertatur, de quo facile judicaverit, qui judicio pollet ac linguae gnarus est.

**§. XXXIX.** *Subalternationem vocant, quando propositioni universalis, particularis, ejusdem generis subjiciatur, vid. Thomas. Log. c. 32. Weis. l. i. c. 6.* cæterum cum adeo manifestum sit, minus in majori contineri, ut statim in oculos velut incurrat, hinc istud subalternandi exercitium, nullius videtur esse utilitatis.

**§. XL.** Quæ autem de veritate & falsitate subalternantis & subalternatae, ac de his ad illam illatione dicunt, vel vice versa, illa ex propriis principiis dependent, ac sine subalternatione intelliguntur.

**§. XLI.** *Æquipollentia est propositionum verbis diversarum, in sensu convenientia.* Ad eum dijudicandam sermonis, quo quid profertur, quem-

quemque Logica non docet , sed præsupponit, peritia, ac judicij bonitas requiritur, quæ duo si adsint, facile quis intelliget, an propositiones quædam inter se sensu convenient, nec ne.

§.XLII. Quæ vulgo traduntur, ea, uti ad solam linguam latinam pertinent , ita particularia etiam sunt, dum de solis *signis* satagunt , vid. Weis. l.1.c.7. Thomas. c.34. Ullman. *Synops. Log. l.2.c.15.* cum tamen alio etiam respectu æquipollentia possit occurtere.

§. XLIII. *Oppositiō est propositiōnum inter se pugnantium collatio.* Eam vulgo faciunt triplicem : *Subcontrariam, Contrariam & Contradictriam.* In hac doctrinā incongrua est denominatio *Oppositionis subcontrarie*, cū jam admonuit Weisius l.1.c.6. §.8. præterea *contraria* non esse supponi videtur.

§.XLIV.

§. XLIV. Quare sic potius dicendum : Oppositio est vel *apparens*, quoties scil. non eodem sensu & respectu propositiones sibi contradicunt, vel *vera*, quando eodem sensu negatio & affirmatio, idque vel expresse vel tacite, concipiatur.

§. XLV. Ad apparentem omnino etiam pertinet *vulgaris subcontraria*, quoties scil. diversus respectus in propositionibus oppositis occurrit, v.gr. *quidam homo est doctus*; *quidam homo non est doctus*, nam sive idem prædicatum duobus distinctis subjectis, sive eidem subiecto, sed juxta diversum respectum, tribuas, utrobius est apparens contradictionio, certe ratio solida dari non poterit; quare hæc tantum (ceu communis præcipit sententia) non etiam illa, pro tali contradictione haberi debeat.

§. XLVI. Vera est vel *contradictria*,

ria, quando eandem rem altera propositio affirmat, altera negat, vel *contraria*, quando rei assertæ vel negatæ contraria opponitur, adeoque implicitè contradicitur.

§. XLVII. *Contradictoria in omnis generis propositionibus locum habet;* (1) in *universalibus*: *O homo est animal. N. homo est animal*, Equidem vulgo id haut admittunt, sed sine ratione.

§. XLVIII. Nam adest hic *primo generale contradictionis requisitum*, dum eadem res affirmatur & negatur, *deinde cum contradictionem agnoscant inter universalem affirmantem & particularem negantem, vel vice versa, quo jure inter duas universales contradictionem negabunt*, fortius enim contradicit, qui totum, quam qui partem negat?

§. XLIX. *Denique admittunt nonnulli*

nulli contradictionem inter duas indefinitas: *Homo est melior bestia*, *Homo non est melior bestia*, vid. Weis. d. l. I. c. 6. §. 11. atque haec saepe universalibus aequipollent; immo in exemplo allata revera sunt universales!

§. L. Nec obest, si quis objiciat: *contradicторias propositiones nec simul veras, nec simul falsas esse posse*, vid. J. Thomas. c. 33. §. 46, cum tamen duae propositiones universales simul falsae esse queant.

§. LI. Nam responderem, dici illud juxta vulgarem hypothesin, ea vero rejecta, de consequario quoque non immerito dubitari. Deinde sufficit, quod saepe ex duabus propositionibus universalibus, altera vera, altera falsa sit, hinc licet illis in casibus, ubi utraque falsa est, **contradictio** vera forsitan asserti nequeat, ideo tamen generaliter **contradictio** inter universales, negari non potest.

§. LII.

§. LII. Sed nec videtur veræ contradictioni obesse, si utraque etiam propositio falsa sit, nam contradic<sup>tio</sup> ex eo æstimatur, si eodem respectu alter affirmet, alter neget, veræ an falsæ sint propositiones, nihil hactenus referre videtur.

§. LIII. Hinc si quis dicat: *omnes heterodoxos damnari, alter nullum damnari contendat*, contradic<sup>tio</sup> vera adesse videtur, licet utraque propositio falsa forte sit. Interim ultimam hanc responsionem præfracte non defendam, nam esto, quod contradic<sup>tio</sup> faltem sit apparens, si utraque propositio falsa sit, exinde nihil aliud sequitur, quam quod non semper inter universales vera sit contradic<sup>tio</sup>, non, quod nunquam, ceu modo dixi, §. 51.

§. LIV. Porro contradictoria oppositio locum invenit (2) in *universalis affirmante ac particulari negante*,

& vice versa, (3) in *propositionibus singularibus*, quod vulgo etiam docent (4) in *indefinitis*, quod admittit Weisius d.c.6. §.ii. (5) in *particularibus*, si eodem respectu negent & affirment, quod itidem Weisius d.l. §.8. difficeri non potuit,

§. LV. Nec infrequens est hæc contradictione, si Theologus dicat: *quidam* (intelligens v. gr. Reformatos aut Pontificios) *sic statuunt*, huic recte quis, ex horum ordine, contradiceret: *quidam* (i.e. illi ipsi quos tu intelligis) *ita non statuunt*.

§. LVI. In genere autem ad contradictionem veram requiritur, ut maneant iidem termini, illique eodem respectu & sensu accipientur, quod vulgo amplius declarant, ut tamen ad illas solum propositiones, quas ex vulgari hypothesi, pro contradictoriis habent, respiciant, vid. Weis.

Weis. d. I. §. 13. 14. 15. Thomas. d. c. 33.  
§. 9. seqq.

§. LVII. *Contraria oppositio in omnibus generis propositionibus locum quoque habet,* (1) in *universalibus*, v. gr. *Omnis ethiops est niger*, *Omnis ethiops est albus*, aut: *nullus lapis est mollis*, *nullus lapis est durus*.

§. LVIII. Ulterius (2) in *indefinitis*: v. gr. *Germani sunt Christiani*, *Germani sunt Mahomedani*, (3) in *particularibus*: *quidam cives vigilant*, *quidam* (scil. illi ipsi de quibus modo dictum) *cives dormiunt*. (4) In *singularibus*: *Petrus est doctus*. *Petrus discit elementa literarum*.

§. LIX. Sic omnino oppositionem *contrariam*, supponendam esse arbitramur, nam alias nulla solida eam, & *contradictoriam*, distinguendi est ratio, præterea vulgo oppositionem *contrariam terminorum simplicium*, codem modo supponunt, vid. Weis.

P. I. I. 3. c. 13. §. 5. Thomas. c. 18. §. 15. hinc nulla apparet ratio, quare oppositionem propositionum aliter supponere debeamus.

§. LX. In contraria autem oppositione latere quoque contradictionem, manifestum est, hinc & in illa observandum est, an eodem respectu & sensu fiat, nam alias legitima non erit. De cætero oppositionis contrariæ, perinde frequens est usus, ac contradictoriæ, saepè enim rei contrariæ objectione alteri contradicimus.

## CAPUT VIII. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE.

### §. I.

**I**nter propositiones eminent illæ,  
quibus natura alicujus rei dextrè

ex-

exhibetur, aut totum aliquod in suas partes accurate resolvitur, quæ nomine *Definitionū & Divisionum* venuunt, de quibus ut aliqua tradamus, contextus postulat, ubi quidem præter ea, quæ vulgo traduntur, proprias observationes hinc inde etiam inspergemus.

§. II. Definitio est vel *nominis* vel *rei strictè dictæ*. Illa (quæ etiam *rei*, suo modo, est, cum vox vel nomen, utique res sit) est vel *communis*, quando alicujus vocis natura per etymologiam, synonymam & homonymiam evolvitur, aut alias ejus sensus explicatur, vel *Propria*, quando quis pro lubitu suo, sine tamen aliorum præjudicio, voci cuidam peculiarem significatum tribuit.

§. III. Hæc est arbitraria, nulli contradictioni subjecta, ac quandoque utilis & necessaria, ad conceptus suos eo melius exprimendos, præcavendos.

dosque errores & vitilitigia, dum sæpe homines non de rebus, sed vocibus disputant, qua de re pluribus disseruit Autor art. cog. p. i. c. 10, 11.

§. IV. Definitio realis, est *propositio, rei alicujus naturam explicans*: solet illa dispesci in *definitionem propriæ sic dictam*, qua accurate indeoles rei exponitur, ac *descriptionem*, qua utcunque illa exprimitur. Sæpe palliandis pravis definitionibus, cum meliores dari possent, *descriptionis nomen adhibetur*.

§. V. Rem accuratè definire, non usquequaque expeditum est, plura enim ignoramus, eorum vero, quæ scimus vel scire possumus, non semper recordamur, hinc non infrequentes definitionum solent esse lapsus, quibus præcavendis nihil rectius adhibetur, quam attenta rei definiendæ consideratio, nec tamen eo medio mentis humanæ imbecillitatem

tem penitus tollere licet.

§. VI. Constat quævis definitio, ad aliarum propositionum exemplum, Subjecto, quod *Definitum* dicitur, & Prædicato, quod *definitio stricte dicta* audit, per quam illius in doles exhiberi debet.

§. VII. Cum autem unaquæque res gaudeat *materia*, aut si mavis, *substantia & forma*, hinc manifestum est, quod definitio stricte dicta, utramque sistere debeat, si quidem numeros bonæ definitionis implere velit.

§. VIII. Cæterum illud ipsum, quod rem aliquam definiendam constituit, sive *materia*, sive *forma* sit, si cum aliis rebus conferatur, vel iis est *commune*, vel rei definiendæ *proprium*, hinc etiam dici solet, quod definitio exhibere debeat *Genus & Differentiam Specificam*, quæ adeo *Substantia & forma* neutiquam op-

poni debent , ceu jam admonuit Weisius P.z.l.i.c.i. §.5.

§. IX. Quænam verò sint illa, quæ singulas res constituant, vel circa illas, loco Generis & differentiæ specificæ, habenda sint, id Ars cogitandi non explicat, sed ista cognitio ex accurata singularium rerum, in disciplinis propriis occurrentium, consideratione advenit.

§. X. Interim generales quædam regulæ, quæ in concipiendis definitionibus observandæ sint, præscribi solent , v.gr. in definitione substantiæ, differentiam specificam esse sumendam à forma substantiali , accidentium, à causis, vid. J. Thomas. Log.c.51. §.7.8. sed hæc observatione non valde forsitan quis profecerit, cum discrimin Substantiæ & Accidentis nondum sit ad liquidum deductum.

§. XI. Si vera differentia specifica nos

nos lateat, tum ejus loco aliquod proprium reciprocabile, vel complexus accidentium reciprocabilis assumi jubetur, Thom. d.l. §.9. quæ observatio præcedente melior, ac, ob imbecillitatem mentis humanæ, admittenda videtur,

§. XII. Aliter etiam differentias specificas in *moralibus* & *artefactis* eruendas esse censet Weisius d.l. §.6. sed videtur in omnibus rebus eadem ratio observari, res tamen morales & artefactæ penitus ab hominibus intelliguntur, quam physicæ, hinc etiam certius definiri possunt.

§. XIII. In genere igitur vix aliud admonendum haberem, quam, res definiendas accurate esse considerandas, in quantum imbecillitas humana permittit, ac ex illa cognitione definitiones formandas; nec turpe censeri debere, si semel placita quandoque emendentur.

§.XIV. Quo loco id etiam observandum, quod aliquando quid certo respectu sit accidens, quod tamen alio, pro essentiali habendum. Ut unus imperet, hoc quidem civitati in genere accidentale est, pertinet tamen ad essentiam Monarchiae, successio masculorum, ad accidentia feudi spectat, ast feudo proprio illa est essentialis. Ex qua observatione hoc intelligitur, saepe definitionem ab accidentibus desumtam, censeri posse, quae tamen essentiam rei optime exprimat.

§. XV. Requisita bonae definitionis sunt, ut (1) definito sit notior, (2) eidem propria, (3) verbis significantibus & propriis constet, ac, (4) cum definito queat reciprocari seu eodem nec latior nec angustior sit, vidi Weis. d. l. §. 15. seqq. Thomas. d. c. 51. §. 13. seqq. Ulman. *Synops. Log.* l. 2. c. 8. Autor. art. cog. p. 2. c. 12,

§. XVI.

§.XVI. Non tantum igitur *falsa* & *aliena*, sed & *nimirum generalia*, à definitione abesse debent, hinc absurdum est, si ea, quæ ad definitionem *Generis* pertinent, in singulis *speciebus* repeatas, cum potius in his definendis, præsuppositis generalibus, specialia addi debeant.

§. XVII. Sic si legem definias, *quod sit decretum Imperantis*, quo si bi subjectos obliget, quo ad ipsius præscriptum actiones componant, illa omnia in definitione legis divinæ & humanæ incongruè repetentur, cum potius dicendum sit, legem divinam esse, quæ *Deum*, humanam, quæ homines habeat autores.

§. XVIII. Ita definitionem status imperii, quod scil. sit *persona jure territoriali ac hinc orto jure sessionis*. *& voti in Comitiis gaudens, ac Cæsari totiq. Imperio nexu fere sociali vel systematico obstricta*, male utique in

singulis statibus repetes.

§. XIX. Cum satius sit dixisse: Dux c. gr. est *Status*, qui regimine Monarchico simili, ex legibus fundamentalibus, velicui territorio præfī, ac dignitate Regaliproxima gaudet, qua de re, ad instantiam *Vitriarii*, plura dixi in *Vind. Vitriar. Castigat.* annot. 142. p. 214. quæ ad Disciplinam propriam, si operæ pretium videatur, referri poslunt.

§. XX. *Divisio*, est *propositio*, qua totum aliquod, solidæ cognitionis causa, in partes suas dispescitur, seu, qua varietas rerum, que totum aliquod constituant, recte exhibetur.

§. XXI. *Subjectum* in *propositione* dividente vocatur *Divisum*, *Prædicatum* vero sunt *membra dividentia*, Thomas. *Log. c. 52. §. 6. 7.* De cætero omnis divisio ad solidam cognitionem acquirendam referri debet, ad hunc igitur finem quæ collimat,

mat, bona, quæ eum turbat, mala,  
quæ ab eo abit, otiosa censeri debet.

§. XXII. Vulgo triplex Totum, circa quod divisio occupetur, commemorari solet. *Essentiale, Integrale & universale.* Ad integrale non nulli referunt Totum Potestatum, sicut sub Universali comprehendunt divisionem *subjecti per accidentia, accidentis per subjecta, & accidentis per accidentia*, vid. Thom. d. c. 52. §. 8. seqq. Weis. Log. P. 2. l. 1. c. 2. §. 2. seqq. Ullman. *Synops. log. l. 2. c. 8.*

XXIII. Paulo aliter incedit Author *art. cogit. p. 2. c. 11.* qui duplex Totum saltem constituit, *Integrale*, cuius resolutionem proprie *Partitionem* dici vult, & *Universale*, cuius discretio nomen *divisionis* merito retineat.

§. XXIV. Hujus porro quatuor species facit, vel enim Genus dividitur in suas (1) species, vel (2) dif-

ferentias, vel subjectum commune,  
(3) ratione accidentium oppositorum, vel (4) accidens ratione diversorum subjectorum.

§. XXV. Sed ista philosophandi ratio fortè certo respectu excedit, alio verò deficit, aut aliàs incongrua est, nam omne Totum, si rationem formalem species, est uniforme, complexus scil. plurium rerum vel partium, & hactenus ejus divisio videtur esse superflua, si vero ejus variam materiam consideres, tum forsitan adductæ species id non exhaustiunt, aut saltem ad eam non satis quadrant.

§. XXVI. Videamus distinctius: Totum *essentiale* dicunt, quando res aliqua in materiam & formam, seu *Genus* & *speciem* dividitur. Ergo Totum hic est complexus duarum partium. Idem obtinet in Toto *integrali*, quando subjectum aliquod in

in suas partes vel homogeneas vel heterogeneas discernitur.

§. XXVII. Totum potestatibus volunt esse animam rationalem, quatenus ex diversis facultatibus constat, vel Majestatem civilem, que diversis juribus gaudet. Ergo prius exemplum exhibit Totum ex facultatibus quibusdam velut compositum, posterius vero, complexum rerum moralium.

§. XXVIII. Tandem Totum universale est, quando quid in suas partes subjectas, v. gr. animal in hominem & brutum, distinguitur. Enimvero vel illud intelligitur de conceptibus vel de rebus ipsis, utroque respectu iterum Totum, est complexus suarum partium.

§. XXIX. Quodsi autem à varietate materiae dividenda, istas species exortas esse contendas, tum videntur esse inadæquatae, neque enim, ut id

id solum admoneam , de *divisione* *propriorum*, aliquid illæ continent, præterea respectu materiæ, non videntur esse conceptæ.

§. XXX. Evidem Totum essentiale sic denominatum videtur , quia à partibus suis essentialibus dividitur. Denominatio quoque Totius potestativi, eodem respectu concepta videri potest, sed Totum *integrale* & *universale* , satis aperte ad formam pertinet, nam omne Totum ex suis partibus constat , earumque ratione, universale est.

§. XXXI. Ex his igitur satis liquet, vulgarem doctrinam de Toto, non satis accuratam esse. Quo loço id quoque prætereundum non est, quod nonnulli eandem rem sibi ipsi opponant. Sic Weisius *de. 2. §. 7.* ad Totum universale refert, *divisionem accidentis per accidentia* , mox tamen §. 8. velut peculiarem speciem.

em laudat eam divisionem, qua *partes* per *diversos respectus* separantur.

§.XXXII. E.gr. Si pactum ratione objecti & finis, in publicum & privatum, formæ, nudum & vestitum, cause efficientis, expressum & tacitum &c. distinguatur, sed hoc nihil aliud est, quam accidens, scil. pactum, per accidentia, modo memorata, distinguere.

§.XXXIII. Malim igitur sic dicere: Omne totum ratione formæ suæ spectatum, est uniforme, notatque complexum plurium rerum, ex quibus constat, aet ratione materiae, idem varium est, in genere tamen triplex statui posse videtur, vel enim notat complexum plurium rerum per se subsistentium, v. gr. plurium specierum & individuorum, vel secundò rerū, que unius subjecto ut partes essentiales vel accidentales aut propriæ inesse solent, vel tertio ejusmodi rerū,  
que

que per plura subjecta dispersa sunt.

§. XXXIV. Requisita bona divisionis sunt ut sit (1) Toti adæquata, adeoque membra dividentia neque deficiant neque excedant, aut plane totum evertant, (2) ut membra dividentia juxta fundamenta sua, ritè discrete sint.

§. XXXV. Ex posteriori varia fluunt (1) ut membra sint opposita nec unum sub altero contineatur, de hoc tamen ex intentione factæ partitio- nis amplius judicandum, nam si ge- nus in species velis dividere, utique speciebus expressis male adjungetur inferior sub altera contenta, sic inepta erit divisio, si animal in irratio- nale, rationale & fæminam dividas.

§. XXXVI. Quod si autem duæ res æquales censeri queant, cum rectè si- bi opponentur, licet una alias in al- tera contineatur: sic cum in Republi- ca æque certa pars Procerum, ac o- mnes

ttimes convenire queant, Comitia in  
universalia & particularia recte di-  
stinxeris, quamvis hæc in illis mate-  
rialiter comprehendantur, vid. l. 38.  
§. 5. ff. de pœn. add. Weis. d. P. 2. l. 1. c. 2.  
§. II. Aut. art. cog. p. 2. c. H.

§. XXXVII. Ex quo liquet, præce-  
dentes regulam (quam alii etiam  
ita eloqvuntur, quod membra divi-  
denta se mutuo excludere seu à se  
invicem dissentire debeant) clarius  
proponi, si dicamus: subordinata  
non eadem classe debere censeri vel  
sibi invicem opponi.

§. XXXVIII. Porro exinde (2)  
fluit, quod partes divisionis quam  
paucissimæ esse debeant, prolixa enim  
enarratio ostendit, quod partes obi-  
ter saltem sint consideratæ, nec fun-  
damenta, juxta quæ vel convenientant,  
vel discrepant, rite expensa, neque  
tamen divisiones semper bimem-  
bres esse debent, quam ineptam su-  
per-

perstitionem alii jam recte explose-  
runt, *vid. Weis. d. l. §. 12. 13.* Aut. art.  
*cogit. d. c. 11.*

§. XXXIX. Non minus etiam (3)  
abstinendum est à nimia divisionum  
multitudine, qua res non distin-  
guuntur, sed discerpantur, ac cogita-  
tiones dissipantur, *vid. Aut. art. cogit.  
d. l. in fin.*

§. XL. Danda etiam est opera, ut  
(4) membra dividentia positive deter-  
minentur, hinc termini contradic-  
torii in divisionibus haūt sunt to-  
lerandi. Sic inepta est divisio, si ho-  
mines in aliqua Republica viventes  
ita distinguas, quod vel *futores*, vel  
*non futores* sint, aut cum Triboniat-  
no, incomparabili illo Jurispruden-  
tiæ statore, contendas, homines sui  
juris esse vel *in tutela*, vel *in cura*, vel  
*neutro jure teneri.*

§. XLI. Nam in ejusmodi divisio-  
nibus hoc saltem dicitur, quod illud,  
quod

quod sub altero membro continetur, non sit id, quod alterum membrum continet, quid verò sit, id positive non exprimitur, atque ita dividentis imperitia satis ostenditur.

§.XLII. Quo loco tamen observandū, non omnes terminos negativos esse improbandos, nam sæpe ita comparati sunt, ut non tantum oppositum removeant, sed & positivi quid notent, hinc divisiones animalis in *rationale* & *irrationale*, vel corporis, in *sensibile* & *insensibile* non rejiciendæ sunt, *vid. Weis. d.l. §. 15. Aut. art. cog. d. c. II.*

§. XLIII. Denique ex requisito allato (5) sequitur, quod inter *membra dividentia aliqua esse debeat aequalitas vel proportio*, si enim alterum membrum nimis sit exiguum, alterum nimis magnum, tum satis apparet, quod dividens fundamenta rerum dividendarum malè cognoscere.

gnoverit, aut parum artis & diligen-  
tiæ circa divisionem adhibuerit.

§. XLIV. Ex hoc fundamento me-  
ritò improbantur vulgares illæ juris  
Romani divisiones, quando homi-  
nes dicuntur esse vel *alieni*, vel *subju-  
ris*, & de his rursus asseritur, quod vel  
*in tutela*, vel *in cura sint*, vel *neutro  
jure teneatur*, licet illæ ita sint ino-  
litæ, ut jurisprudentiam esse interi-  
turam, propemodum credant Legu-  
leji, nisi semper conserventur.

§. XLV. Quis enim, rem penitus  
paululum considerans, rusticam il-  
lam ferat inæqualitatem, qua filii  
familias & servi *unum*, reliqui ho-  
mines omnes, *alterum membrum*  
constituunt, aut qua, in subdivisio-  
ne, pupillis & minoribus peculiaris  
locus assignatur, cæteris vero omni-  
bus, cujuscunque etiam sint condi-  
tionis & status, in turba consisten-  
dum est?

§. XLVI.

§. XLVI. Ejusdem notæ divisione est, quæ ad imitationem præcedentium videtur exorta, quando modi *amittendi feudum*, distinguuntur : quod vel *culpa* vel *sine culpa* feudum amittatur, nam & in ea unus modus unum, & reliqui omnes , alterum *membrum* occupant , hinc eadem subtilitate dici potest, *feudum amitti vel præscriptione*, *vel sine præscriptione*, aut *rei interitu*, *vel sine rei interitu*, & ita porro, quæ absurditatem illius divisionis liquido satis ostendunt,

## CAPUT IX.

DE

TERTIA MENTIS  
OPERATIONE SEU  
SYLLOGISMO.

§. I.

**Q**uando prædicatum de subjecto affe-

asseritur vel negatur, adhibita in probationem tertia ideâ, tum adest ter-  
tia mentis operatio , v.gr. *subditus jussa Imperantis facere debet*, quia se  
ejus imperio submisit.

§. II. Si inter prædicatum & sub-  
jectum , ac ideam tertiam sit certa  
connexio , tum exoritur demonstra-  
tio , si illa non adeo certa sit, probabi-  
litas , idea autem tertia nomen prin-  
cipii gerit, de cuius habitu c.3, §. 69. sq.  
pluribus differui.

§. III. Id hoc loco paucis admo-  
nemus, in demonstratione non con-  
sistere apicem scientiæ humanæ,  
cum utique veritas indemonstrabi-  
lis demonstrabili præstet. Præterea  
notandum, quod principia demon-  
strandi Ars cogitandi non tradat, sed  
illa potius ex disciplinis realibus in-  
notescere debeant.

§. IV. Quod vulgo dicunt, in prin-  
cipiis non dari progressum in infini-  
tum,

tum, vid. Weis. Log. p. 2. l. 1. c. 3. §. 11.  
id eo sensu admitto, quod subsisten-  
dum sit, si per diversorum principio-  
rum subordinationem, eò res reda-  
cta sit, ut singulari perceptione ea-  
dem nunc intelligatur, vid. Supr. d.c.  
3. §. 68. 69. 81. 82.

§. V. Consistit autem vis omnis  
demonstrationis, sive certæ sive pro-  
babilis, in *unione vel pugnantia sub-*  
*jecti & Prædicati, cum idea tertia,* illa  
unio vel pugnantia, si per distinctam  
idearum collationem ostendatur,  
tum oritur *Syllogismus.*

§. VI. Hujus consideratio in pri-  
mis ad Artem Cogitandi pertinet,  
nam uti omnes homines, etiam in-  
doctissimi, quoties diversas ideas in-  
ter se conferunt, convenientiam &  
pugnantiam illam re ipsa adstruunt  
aut præsupponunt, ita penitior ejus  
evolutio ad cogitationum certitudi-  
nem multum confert.

§. VII. Evidem doctrina Syllogismorum nimis vulgaris & protrita multis hodie videtur, quin non paucis eadem sordet ac indigna creditur, cui ingenium impendas. Sed nobis operæ pretium omnino videtur, diligenter eam persequi, in primis cum ea, quæ nonnulli docent, nimis superficiaria sæpe sunt.

§. VIII. Est Syllogismus vel *Simplicis*, vel *Compositus*. De hoc deinde videbimus. Ille est ratiocinatio, qua certe alicujus propositionis subiectum & prædicatum, cum idea seu termino tertio, distinctis propositionibus confertur, ac ex utriusque cum hoc convenientia vel pugnantia, illarum veritas, seu convenientia aut disconvenientia ostenditur.

§. IX. Aristoteles dixit Syllogismum argumentationem, in qua quibusdam positis, diversum quid à positis sequitur ex necessitate, eo quod illa posita

*sit a sint. vid. Thomas. Log. c. 37. Ul-*  
*man. Synops. Logic. l. 3. c. 1. quæ fere*  
*ejusdem furfuris est , ac si Elegiam*  
*diceret Scripturam, in qua post lineam*  
*longam , semper sequatur brevior;*  
*adeo illa solum externa sectatur.*

§. X. Est autem Syllogismus sem-  
 per ut *instrumentum scientie, vel ve-*  
*ritatis acquirende, spectandus ; hinc*  
*si eum recte cognoscere velimus,*  
*propositionem, quæ per Syllogismum*  
*demonstranda sit, præsupponere, ab*  
*eaque in hujus cognitionem prove-*  
*hi debemus.*

§. XI. Hac via *materia Syllogis-*  
*mi recte intelligi ac de hominari*  
*poteſt. Ni mirum datur Propositio,*  
*Subjecto & Prædicato constans, de cu-*  
*jus veritate dubitatur, hæc ut probe-*  
*tur, assumitur tertia idea, seu termi-*  
*nus, atque ita materia Syllogismi*  
*existit.*

§. XII. Prædicatum datæ proposi-  
 tionis  
 H 2

tionis vocatur *Terminus Major*, subjectum, *Minor*, quia illud plerumque hoc latius patet, idea *tertia*, *Medius* *Terminus* audit, quia eo mediante veritas oblatæ propositionis ostenditur.

§. XIII. Inde propositiones, suas quoque accipiunt denominations, nam si terminus *Major* cum medio conjungatur, tum existit *Propositio major*, si minor & medius, *Minor*, quæ simul sumtæ nomen *Premissarum* gerunt. Ex illis sequitur data *propositio*, quæ nunc *Conclusio* dicitur, cum ante demonstrationem, *questionis* nomine veniret, *add.* Aut. art. cogit. p. 3. c. I,

§. XIV. Quo ordine Propositiones illæ adducantur, nihil refert, plerumque tamen *Major primo*, *Minor secundo*, & *Conclusio tertio loco* sollet poni, hinc etiam pueri & impremiti, ex ordine fere propositiones illas dijudicant.

§. XV.

§. XV. Licet autem hæc non adeò difficultia sint, Peri patetici tamen & in illis imperitiam ostendunt, dum in terminis & propositionibus explicandis, frigido, jejuno ac indolem rei haut penetrante definiendi genere utuntur.

§. XVI. Si quæras, cur terminus dicitur *major* & *minor*? quia reperitur in propositione *majore* & *minore*, respondebunt, si instes, quid verò est *Propositio major & minor*? habebis responsum, que continet terminum *majorem* & *minorem cum medio*, vid. Thomas. Log.c.38. §. 8. 9. 12. 13. Ulman. Synops. Log.l.3.c.1. in fin. quid verò isto circulo proficimus?

§. XVII. Ejusdem notæ est, quando dicitur, Syllogismus est *argumentatio, que constat tribus propositionibus*, quarum prima vocatur *Major*, secunda *Minor* & *tertia Conclusio*, Thomas. d. tr. c. 37. §. 1. quasi verò ex

ordine scripturæ vel sermonis, propositiones, puerorum more, judicare debeamus.

§. XVIII. Illud porrò perversam ratiocinationem arguit, quando termini *major* & *minor* in Conclusione asseruntur, antequam *subjectum* & *Prædicatum* observatum fuerit, imo illi per hæc explicentur, *vid. Thomas. d. c. 38. §. 5. 6. 7.* nam res potius inverti, ac ex *subjecto* & *prædicato*, *minor* & *major* terminus deduci aut efformari debet.

§. XIX. Nec illud facile probes, quando medius terminus dicitur, *qui bis ante conclusionem occurrit nec tamen eam ingreditur*, nam & hoc philosophiam puerilem sapit, quamvis heic forte aliquid condonandum sit, cum hanc inconcinnitatem meliore definitione pensare soleant, *vid. Thomas. d. c. 38. §. 10. 11. Weis. Log. P. I. 1. 2. c. 1. §. 4.*

§. XX.

§. XX. Causa philosophiæ illius proletariæ non alia est, quam quod Syllogismum, non ut *instrumentum scientiæ* considerent, sed potius eum pro *pupulo* habeant, cum quo ludere, ac illum in varias formas effingere possint.

§. XXI. Dum adeo à vero scopo aberrant, ac Logicam pro arte confiendi orationem, tribus lineis constantem, habent, necessario ignorare debent, ubi in Syllogismi explicacione incipiendum aut desinendum sit, hinc circuli, descriptiones ineptæ, ab externo ordine hausta judicia, nec non assertiones præposterae, non potuerunt non oriri.

§. XXII. Postea *Forma* Syllogismi, seu intima illa terminorum unio, aut pugnantia, per quam intellectus convincatur, quod data propositio ex præmissis fluat, seu per has probetur, debet explicari, quod ut recte fiat,

fiat, præsupponendum est, quod in universum duplicis generis propositiones occurrant, *Negativa & Affirmativa.*

§.XXIII. Si negativa fuerit Proposition, veritas ejus per ideam tertiam, seu medium terminum, ita ostenditur, si alterum illius terminum cum hoc convenire, alterum pugnare doceas, nam hoc posito non potest non intellectus agnoscere, quod termini datae propositionis, inter se etiam pugnant.

§.XXIV. Propositio probanda est: *Petrus non est lapis*, idea tertia potest esse, quia est homo. Hic ostendo, quod Propositionis Prædicatum universaliter pugnet cum idea tertia, scil. hominis

*Nullus homo est lapis,*  
Deinde monstrò convenientiam subjecti cum idea hominis,  
*Petrus est homo,*

quia

quia igitur idea Lapidis & Petri ratione tertiaræ ideæ, scil. hominis, non conveniunt, ideo inter se quoque necessariò pugnant

*E. Petrus non est lapis.*

§. XXV. Si enim lapis non admittit ideam hominis, hæc verò cum Petro congruit, necessario inde sequitur, quod idea Petri & lapidis inter se non convenient. Hæc illatio adeò clara est, ut à priori amplius demonstrari nequeat, sed simplici & immediata perceptione intelligatur.

§. XXVI. Ex quo etiam liquet, quod, si quis heic contradicere velit, non *illationem*, sed *laudatam subjecti & prædicati*, cum medio termino *convenientiam aut pugnantiam negare* debeat, hinc in vulgo s notum est, quod *concessis premissis ridiculè negetur Conclusio*.

§. XXVII. Fundamentum igitur  
H5 Syl-

Syllogismorum negativorum hoc est: *Quicunque pugnant in certo aliquo tertio, illa juxta mensuram illius disconvenientiae, etiam inter se pugnant, ceu ex dato exemplo intelligi potest.*

**§. XXVIII.** Si affirmativa propositio offeratur, tum ejus veritas per ideam tertiam ita ostenditur, si atrumque illius terminum, cum hac, eodem respectu convenire demonstres, nam ex hac convenientia, utriusque termini convenientia inter se, meritò asseritur.

**§. XXIX.** Propositio probanda est: *Petrus est doctus, idea tertia, quia literas diligenter tractat.* Hic ostenditur, quod prædicatum, cum hoc medio termino conveniat:

*Quicunque diligenter tractat literas, est doctus,*

Postea subjecti cum eodem, convenientia asseritur,

Pe-

Petrus diligenter tractat literas,  
hinc convenientia subjecti & prædicati in data propositione necessariò sequitur ,

*E. Petrus est doctus.*

§. XXX. Quæ etiam amplius ex §. 25. 26. mutatis mutandis , confirmari illustrarique possunt, ut fundatum Syllogismorum affirmativorum hoc sit: *Quæcunque convenientia in uno tertio, illa etiam, juxta mensuram illius convenientiae, inter se convenientia.*

§. XXXI. Circa ideam tertiam seu medium terminum observandum est, quod in eo *absoluta universalitas* non sit necessaria, sed sufficiat, si ejus ille sit *capacitatis*, ut convenientia vel disconvenientia subjecti & prædicati, in eodem ostendi possit, hinc ex idea , certo respectu particulari, recte etiam concluditur.

§. XXXII. Peripateticorum dictum  
H 6 de

*de omni & nullo, eò collimat, ut fundamentum Syllogismorum affirmativorum & negativorum exhibeat, nam ita sane est, si idea animalis omni homini convenit, sine dubio etiam convenient omnibus individualis humanis, sicut ē contrario, si idea lapidis in genere cum homine pugnat, nulli individuo eadem convenire potest.*

§. XXXIII. Interim cum denominatio illa longius petita sit, nec formalem concludendi rationem penitus exponat, hinc non est, quare illā doctrinā valde debeamus delegari, cum longe planior rem omnem exponere liceat.

§. XXXIV. Ex hactenus dictis etiam regulæ generales, quibus vulgo concludendi rationem circumscribunt, explicari possunt, (1) *Ex paris negativis nihil sequitur*, nam ut pugna subjecti & prædicati possit ostend-

stendi, necessariò alterum cum me-  
dio termino convenire , alterum  
cum eodem pugnare debet,hinc una  
ex præmissis necessariò debet esse af-  
firmativa.

§.XXXV. Ex eo verò, quod v. gr.  
*Turca non sit Christianus* , & *Gallus*  
*non sit Turca*, non potest sequi,quod  
*Gallus non sit Christianus*, nam ha-  
rum id earum pugna non fuit in præ-  
missis ostensa, sed id solum demon-  
stratum , quod idea Turcæ cum  
Christiano , & idea Galli cum Tur-  
ca pugnet, ex quo nulla pugnantia  
Galli & Christiani sequi potest.

§.XXXVI. Pro negativis tamen  
Syllogismis non debent haberi, qui  
incidentem habent negationem,  
qualis est, ut alios nunc taceam, ille,  
quo aliquando amici, inter pocula,  
in Causidicum jocabantur de ejusq;  
bonitate dubitabant:

*Quicunq; non habet conscientiam,*  
H7 ille

*ille non potest peccare contra conscientiam,*

*Hic causidicus non habet conscientiam*

*E. non potest peccare contra conscientiam,*

nam hic formaliter bonus est, & meritis constat propositionibus affirmativis, add. cap. seqv. §. 24. seqq.

**§. XXXVII.** Porro (2) in Syllogismo non debent esse plures termini quam tres, nam aliás subjectum & prædicatum conclusionis, in certo tertio non confertur, sed potius alterum cum hoc, alterum cum alio termino componitur, ex quo nulla utriusque convenientia vel inconvenientia asseri potest.

**§. XXXVIII.** Quam variè autem quatuor termini occurraint, id vulgo exponitur, ubi tamen quædam falsam sapiunt hypothesisin, quam §. 20. 21. indicavimus, qualia sunt, quæ ex con-

conclusione quoque quatuor terminos eruunt, *vid. Thomas. Log. c. 40. §. 13. 14. 15. seqq.*

§. XXXIX. Nam illa otiose inculcantur, si prout pars est, de Syllogismo non antea sis sollicitus, quam data prius propositione. In genere notandum, quod quatuor termini facile inveniantur, si semper ad conclusionem, deinde ad medium terminum respiciamus.

§. XL. Cum praecedenti regula coincidunt illæ: (3) *Ex puris particularibus nihil sequitur*, vel (4) *medium bis particularitir sumi nequit*, si enim hoc fiat, tum revera adsunt quatuor termini. Quod si autem medium terminum particularem eodem respectu cum subjecto & praedicato Conclusionis conjungas, tum ratio concludendi quidem bona est, sed nisi ille tantæ sit capacitas, ut utrique conveniat, tum Syllogis-

logismus quoad materiam erit falsus.

§.XLI. E.gr. si ita concludas:

*Q. animal est lepus,*

*Q. homo est animal, (nempe illud ipsum, quod cum lepore erat unitum,)*

*E. Q. homo est lepus,*  
tum ratio concludendi formaliter bona est, sed minorem falsam esse, ex addita explicatione liquet.

§.XLII. Verum si ita arguas:

*Q. homines (omnes scil. Europæi)  
sunt albi,*

*Germani sunt homines (nempe ex eorum numero de quibus loquebatur propositio præcedens,)*

*E. sunt albi,*  
tum Syllogismus & materialiter & formaliter bonus est, nam medius terminus ratione conclusionis est universalis, ac cum ejus prædicato & subjecto, eodem respectu confertur.

§. XLIII.

§. XLIII. Illæ autem regulæ, (5) *Conclusio sequitur partem debiliorēm,* nēc non (6) *medius terminus conclusionem ingredi non debet*, pro non necessariis merito habentur, fluunt enim ex hypothesi, §. 20. 21. notata, juxta quam sine prævia conclusione Syllogismi conficiuntur.

§. XLIV. Nam juxta hanc hypothesin Tirones, qui struem Syllogismorum fortitorum concinnare jubentur, ut qui admonendi sunt, quo in formanda conclusione, quam hactenus ignorant partem debiliorēm sequantur, nec ei medium terminum inferciant. Ast si Syllogismum pro instrumento veritatis inquirendæ habeas, nec de eo formando prius sis sollicitus quam propositio probanda sit oblata, tum illa monita sunt otiosa.

§. XLV. Aliquando Conclusio vera est, sed ex præmissis non sequitur,  
quod

quod uti vulgo recte admonent, ita circa applicationem, ob regulas Syllogismorum speciales, quas fovent, quasque falsas esse deinceps ostendemus, subinde falluntur. Ego toties conclusionem ex præmissis non sequi arbitror, quoties prædicatum & subjectum illius, in his cum medio termino non recte est collatum, quod in exemplis, adhibita debita attentione, facile intelligitur.

## CAPUT X.

DE

FIGURIS ET MODIS  
SYLLOGISMORUM.

## §. I.

**S**ic igitur omnium Syllogismorum formalis ratio in genuina medii termini & prædicati ac subjecti Conclusionis collatione consistit, eam si dicere

dicere velis formam essentialē aut figuram generalem, vel communem, non valde reluctabor.

§. II. Præter eam verò Peripatetici *Figuras*, ex peculiari medii termini situ adstruunt, ea ratione ut primam figuram dicant, in qua mediūs terminus in Majore est subjectum, in Minore Prædicatum, Secundam, ubi idem bis prædicati, & Tertiam, ubi subjecti locum bis subit. Galenus adjecit Quartam primæ contrariam, in qua mediūs terminus in majore est prædicatum, in minore subjectum, quam pluribus etiam exposuit, Autor art. cog. p. 3. c. 8.

§. III. Cæterum illæ figuræ tantum sunt *accidentales* ab iisque vis concludendi non dependet. Quodsi tamen quis diversum medii termini situm attendendū esse putet, tū nec Quarta figura negligenda esse videatur, licet eam Peripatetici nonnulli haut

haut curādam existiment, *vid. Ultman. Synops. Log. I. 3. c. 2. p. 164.*

§. IV. Interim *Prima* cæteris magis naturalis ex eo videri potest, quod subjectum & Prædicatum Conclusionis, in Præmissis suam retineat qualitatem, cum in *secunda* & *tertia*, alterum qualitatem suam exuere, in *quarta* verò utrumque eam deponere debeat.

§. V. Postea in unaquaque figura pro ratione quantitatis & qualitatis propositionum, peculiares *Modi* adstruuntur, ita quidem ut *Primæ* figuræ *Quatuor*, *totidem Secundæ*, *Tertiæ* *six* attribuantur, ex quibus etiam debitè variatis *Quarta* *quinque* accipiat, prout illa passim cum vocabulis memorialib⁹ recenseri solent, ut illa quidem huc transcribere op⁹ non sit, *vid. Autor. art. cogit. p. 3. c. 5. 6. 7. 8.*

§. VI. Non opus esse istis figuris. & modis

modis ad dijudicandam Syllogismorum bonitatem, ex monito §.3. jam intelligi potest. Quomodo tamen sine iis, bonitas laudata intelligi queat, id forte non adeo liquidum est. Voluit hac de remonita nonnulla suggerere, Aut. art. cog. p.3. c. II. 12. sed quæ nobis longius petita & obscuriora videntur, quam ut animum dubium valde instruere queant.

§.VII. Non diu hic quærenda sunt remedia: Observetur forma essentialis seu figura communis, ac de veritate Syllogismi recte jūdicabitur. Applicatio autem hujus moniti non est difficilis, nam primo respiciendum ad conclusionem, deinde ad medium terminum, quo factō etiam judicari potest, an ejus & terminorum conclusionis collatio in præmissis recte sit instituta nec ne.

§.VIII. Imo satius est, Tirones ablegare

legare ad formam essentialē, quam figuram accidentalem in eaque contentos modos, nam illo respectu ultimam rationem cur Syllogismus verus aut falsus sit, simul addiscunt, cum hoc posteriori, causam nullam audiant, ut facile liqueat, vulgares illas figurās & modos ad superficiariam doctrinam pertinere.

§. IX. De cætero uti anxię jam non inquiram, an omnis bene concludendi ratio numero modorum denario circumscribatur, quod quidem juxta anq̄ibet mathematicam demonstrasse videri vult Aut. art. cog. p. 3.c.4. ita id haut admiserim, quod illi modi, quos vulgo laudant, Primæ, Secundæ aut tertiarę figurę præcise sint assignandi, licet hoc itidem acumine mathematico se demonstrasse putet dictus Autor, d.l.c.5 seqq.

§. X. Cum enim quævis proposi-  
tio possit converti, modo quantitas  
præ-

prædicati probe observeretur, hinc necessario sequitur, quod quivis Syllogismus, adhibita propositionum conversione, in quavis figura possit proponi, ex quo non potest non æqualis modorum numerus in unaquaque figura oriri, licet illi non eiusdem semper sint quantitatis.

§. XI. Operæ pretium non est prolixè per omnia Syllogismorum, singulis figuris adscriptorum, exemplare, sufficiat uno assertionem illustrasse, v.gr. in prima figura, modo *Barbara* hic occurrit Syllogismus apud d. Aut. c. 5.

*O. Sapiens subjicitur voluntati Dei,*

*O. Honestus est sapiens,*

*E. O. honestus subjicitur voluntati  
Dei.*

§. XII. Hunc in secunda figura ita proponere licet :

*Quidam, qui subjicitur voluntati  
Dei, est omnis sapiens,*  
*Omnis*

*Omnis honestus est sapiens,*  
*E. Omnis honestus subjicitur voluntati Dei,*  
*ratio concludendi manet eadem, sapiens enim & is qui subjicitur voluntati Dei, uniuntur in Majore, dein sapiens & Honestus in Minore, ergo in conclusione idea sapientis & Ejus, qui voluntati Dei subjicitur, quoque convenient.*

§. XIII. In tertia figura ita se habebit :

*O. Sapiens subjicitur voluntati Dei,*

*Q. Sapiens est omnis honestus,*

*E. O. honestus subjicitur voluntati Dei,*

nec in hac concludendi ratione aliquid desiderari potest, nam medius terminus universaliter unitur cum conclusionis prædicato, deinde, quantum sufficit, conjungitur cum ejusdem subjecto, seu omni honesto, ergo

ergo subjectum & prædicatum se quoque mutuo admittent.

§.XIV. Cæterorum eadem est ratio, quod facilè ostendi posset, nisi tricas illas vel scribere vel legere, tardiosum foret. Ex his autem sequitur, quod omnes regulæ speciales, que modis vulgaribus attemperatæ, vulgariter circumferuntur, falsæ sint, quod speciatim ostendere liceat.

§.XV. In universum triplici modo impingitur, vel enim conclusio creditur absurdæ, quæ talis non est, vel vitium est in materia, ac altera præmissarum falsa, vel adsunt quatuor termini, adeoque absurditas conclusionis, si aliqua subest, nunquam ab ea causa dependet, quam referrunt regulæ.

§.XVI. Sed videamus distinctius, (1) major in prima figura semper sit universalis atqui hoc argumentum optime concludit:

*Petrus est doctus,*  
*Q. homo est Petrus,*  
*E. quidam homo est doctus,*  
 nec valebit exceptio, *singularia aequipollere universalibus*, nam Peripatetici in tertia figura singularia sub particularibus semper comprehendunt, ergo illo jure etiam hic utantur!

§. XVII. Inflectam hoc exemplum minus controversum, quod Autor art. cog. p. 3. c. 7. in modo *Disquisitio*, tertiae figurae, proponit:

*Quidam impii in honore babentur  
in mundo,*  
*quidam vituperandi sunt omnes  
impii,*  
*E. quidam vituperandi in honore  
babentur in mundo.*

§. XVIII. Hic habes primam figuram cum majore particulari, optimè iterum concludentem, nam licet medius terminus particulariter sumatur

matur in majore, ejus tamen illo est  
capacitatis, ut in eodem convenien-  
tia prædicati & subjecti ostendi que-  
at, & nisi hoc esset, nec in tertia figu-  
ra ritè concluderetur.

§.XIX. Nec valde obsunt, quæ vul-  
go illustrandæ regulæ adducuntur.  
Ex sententia Weis. in *Log.p.1.lib.2.xii.*

§.4. male ita concluditur:

*Q. animal volat,*

*O. Leo est animal,*

*E. Q. Leo volat.*

Verum si animal sumitur in minore  
sicut in majore, tum illa falsa est, si  
verò alio sensu, tum existunt qua-  
tuor termini, his ergo causis, non  
particularitati Majoris, vitiosa con-  
clusio tribuenda.

§.XX. Nam aliàs ita bene conclus-  
ditur:

*Q. animal volat,*

*O. avis est animal, (illud quod-  
dam,)*

¶ 2

*E. Q.*

*E. O. avis volat,*  
 nam licet medius terminus particu-  
 laris sit, tantæ tamen est latitudinis,  
 ut cum utroque Conclusionis ter-  
 mino possit uniri.

§. XXI. Porro (2) Miner semper sit  
 affirmans. Sed quid desiderari potest  
 in hoc Syllogismo:

*O. Homo est animal rationale,*  
*Leo non est bona,*  
*E. non est animal rationale?*

& nonne illa ratio concludendi ma-  
 nifeste bona est, quæ subjectum &  
 prædicatum, quæ in certo tertio non  
 conveniunt, inter se quoque pugna-  
 re contendit?

§. XXII. Sed aīs , mutemus pau-  
 lulum Syllogismum & absurditas  
 conclusionis erit manifesta:

*O. Homo est animal,*  
*Leo non est bona,*  
*E. Leon non est animal!*

Verum si terminus animalis, in Con-  
 clu-

clusione perinde sumitur, sicut suppositus fuit in majore, nempe particulariter, tum conclusio est verissima, si autem aliter accipiatur, tum evadunt quatuor termini, quibus adeo, non negationi Minoris, absurditas conclusionis est imputanda, quæ observatio in omnibus exemplis, quæ hic objici possunt & solent, locum habet.

§. XXIII. In specie pertinet ad vulgatum illud sophisma, quod vocant, vid. Aut. art. cog. p. 3. c. 12. in fin.

*Tu non es illud, quod ego sum,*

*Ego sum homo,*

*E. Tu non es homo,*

nam si terminus hominis ubique eodem modo sumatur, argumentum est verissimum, si autem diverso, tum emergunt iterum quatuor termini.

§. XXIV. De Syllogismis propositionum infinitarum nulla lis est,

nam illos bonos esse, & vulgo concedunt, & ego quoque adstroo. Interim s<sup>a</sup>pe non liquet, utrum propositio affirmativa sit negantis prædicati vel subjecti, an verò negativa, v.gr. in hoc argumento :

*Scriptura est adhibenda fides,*

*Traditio non est Scriptura,*

*E. traditioni non est adhibenda fides.*

Autor art. cog. p. 3. c. 10. exempl. 2. putat minorena esse negativam, id quod etiam nimis evidens esse videtur.

§. XXV. Attamen illa revera est affirmativa negantis prædicati , nam plene ita se habet Syllogismus :

*Quicquid non est Scriptura , ei in negotio religionis fides non adhibenda.*

*Traditio est id, quod non est scriptura,*

*E. ei in negotio religionis non est adhibenda fides.*

§. XXVI.

§. XXVI. Dijudicatio igitur propositionis Negantis, & Affirmantis infiniti prædicati aut subjecti, inde unicè dependet, ut attendamus, an principale subjectum & prædicatum separetur, an vero negatio saltem incidat, alterumque comitetur, illo enim casu, vera negatio, hoc affirmatio subest.

§. XXVII. Jam licet in exemplo allato prius videatur: *Traditio non est Scriptura*, ubi sanc omnis veræ negationis requisita, adesse credas, allamen si ad Majorem plene conceperem attendamus, contrarium inde apparet, nam in ea rō *Quicquid*, est simul signum, & subjectum principale, sed rō *non est Scriptura*, est saltem propositio incidens, quæ subjectum determinat, hanc igitur naturam, etiam in Minore retinet, licet sub habitu veræ negationis proferatur, quæ observatio in omnibus simili-

bus casibus utilis est, add. Ulm. *Synops. Log. l.3. c.3. sect. 3. in fin.*

**§. XXVIII:** Sed revertamur ad regulas vulgares ! Nimirum (3) *in se- cunda figura major fit universalis.* Verum cur non ita liceat concludere :

*Quidam dives est Saxo,*  
*Quidam Germanus est omnis Saxo,*  
*E. Quidam Germanus est dives?*  
 quod argumentum Weis. l.2. c. 4. §.2.  
 intuitu tertiae figuræ proponit.

**§. XXIX.** Argumenta, quæ fallere videntur, v. gr. quod Weisius l.2. c.3. §.3. profert :

*Quidam homo est sapiens,*  
*Nullus stultus est sapiens,*  
*E. Nullus stultus est homo,*  
 & similia, responsione §. 22. data eliduntur, nimirum conclusio vel non est absurda, si recte intelligatur, vel adsunt quatuor termini, quibus adeo,

deo, non particularitati majoris, vi-  
tium est imputandum.

§.XXX. Amplius (4) *Ex puris af-  
firmativis in secunda figura nihil con-  
cluditur*, sed mirum foret, si illa con-  
cludendi ratio falleret, quæ funda-  
mentum omnium Syllogismorum  
affirmativorum tam evidenter præ-  
se fert ! Hoc argumentum utique  
formaliter bonum est:

*Omnis sapiens sua sorte est conten-  
tus,*

*Paulus sua sorte est contentus,*

*E. Paulus est sapiens.*

§.XXXI. Sed fallunt multa ar-  
gumenta, v.gr. Weisio d.c.3. §.3. ad-  
ductum :

*Omnis lepus vivit,*

*Tu vivis,*

*E. Tu es lepus,*

verum non fallunt ob affirmatio-  
nem præmissarum, sed quia vel mi-  
nor falsa est, si scil. prædicatum acci-

piatur eodem sensu, quo in Majore sumtum est , vel quia adsunt quatuor termini, si prædicatum Minoris, particulariter & alio sensu accipiatur.

§.XXXII. Non possunt etiam vulgo diffiteri , quin ex puris affirmatis aliquando quid sequatur, verum id non vi *formæ* sed *materiæ* fieri causantur , vid. Ulman. *Log. I.3.3.3. sect. 4.* Hæc vero est petitio principii, nam quæ conveniunt in uno tertio, illa etiam inter se convenire debent, idque non fortuito , sed virtute unionis laudatæ, seu beneficio formæ.

§.XXXIII. Quod autem quævis materia istam concludendi rationem haut admittat, id ejus bonitati haut obest, nam falsæ conclusiones, qualis est , quæ in allato arguimento occurrit, nullo concludendi medio probari possunt.

§.XXXIV. In tertia figura (5) Mi-

yer.

*nor semper sit affirmans.* Ego tamen sic recte concludi posse arbitror:

*Quoddam laudandum est omnis virtus,*

*Nullum laudandum est quædam magnificentia,*

*E. quædam magnificentia non est virtus.*

§. XXXV. Nec valde urgent exempla opposita. Weisius d.l.2.c.4. §. 2. hoc affert:

*Omnis homo ambulat,*

*Nullus homo est porcus,*

*E. quidam porcus non ambulat,*

nam recurrit responsio §. 22. data, quæ vel conclusionem falsam non esse, vel causam falsitatis à quatuor terminis dependere ostendit, quæ etiam locum haberet, licet conclusiōnem universalem, *Nullus porcus ambulat*, assumas.

§. XXXVI. Tandem (6) in tertia figura conclusio semper sit particula-

*ris.* Verum Syllogismum cum conclusione universali, jam exhibui §.13. in Exemplis autem quæ vulgo afferuntur, v.gr.

*Omnis senator est honoratus,*

*Omnis senator est homo, (quidam scil.)*

*E. omnis homo est honoratus,*  
*vid. Weis, d.l.z. c. 4. §.3.* occurunt quatuor termini, (nam homo, in minore particulariter, in conclusione universaliter sumitur) qui adeò veram absurdæ conclusionis causam, ac simul regulæ vulgaris falsitatem ostendunt.

**§. XXXVII.** Illa autem omnia, quæ contra vulgares regulas hactenus disputavimus, non eo pertinent, quasi rationem concludendi, rejicendis regulis hinc inde consecutam, commendemus, ita ut in demonstrationibus eadem uti, aut valde delectari debeamus. **Quin omnia postius**

tius eo spectant, ut Peripateticos, qui formam Syllogismorum essentiam vel omnino non, vel nimis frigide exponunt, in explicandis etiam eorum figuris accidentalibus, falli probarem.

§.XXXVIII. De cætero certum est, quod modo maxime naturali & plano semper concludendum sit, circa quod etiam omnes, quibus veritas magis, quam ineptæ sophistificationes a tricæ cordi sunt, consensu ros esse, arbitramur.

§.XXXIX. Atque ex hactenus dictis etiam intelligi potest, quæ nostra de Reductione sit sententia. Nimirum ex nostris hypothesis illa nihil aliud est, quam Syllogismorum per omnes quatuor figuræ accidentales, salvâ semper conclusione, facta varia.

§.XL. Pertinet igitur illa tantum ad Premissas, Syllogismus enim sem-

per ut instrumentum veritatis inquirendæ considerari, adeoque quæstio probanda, quæ semper immobili sit, nec, prout visum est, varietur, præsupponi debet.

§.XL I. Reductionis unica *Lex* est, ut simpliciter, juxta figuræ indolem, propositiones convertamus; quod sine ulla difficultate procedit, dummodo quantitatem subjecti & prædicati debite consideremus, ceu ex iis, quæ de Conversione diximus, satis liquet.

§.XLII. *Finis* est, ut per ejusmodi variationem, terminorum unionem vel separationem, eò accuratius intelligamus, hinc omnis utilitas reductioni non est abjudicanda, si enim recte instituatur, ingenium quantitati propositionum observandæ magis magisque assivescit, ac inde etiam in penitorem formæ essentia lis intelligentiam provehitur.

§.XLIII.

§.XLIII. In *vulgari Reductione*, quæ in libellis logicis passim exponitur, vid. Aut. art. cog. p. 3. c. 9. quædam exempla reprehendi non debent, quando v.g. *Cesare* ad *Celarent* reducitur, nam ibi simplici conversione alicujus propositionis defunguntur, juxta legem, quam §.41. reductioni dedimus.

§.XLIV. Sed si ab illis exemplis abeas, parum vel nihil est, quod in Eadem laudari debeat, dum ferè ex falsis hypothesisbus omnis reductio oritur, nam *conversio per contrapositionem* præsupponitur, quam tamen valde dubiam esse, supra ostendimus, præterea *peculiares modi* in singulis figuris adstruuntur, ac omnis reductio ad *primam figuram* facienda esse existimatur, cum tamen idem Syllogismus per omnes figuræ variari queat.

§.XLV. Ipsa vero reductio nullis  
le-

legibus adstricta est , convertitur Conclusio, transponuntur Præmissæ, propositiones negativæ mutantur in affirmativas, atque ita quidvis tentatur, modo figura intenta obtineatur. Quo ipso puerilis error, quo Logica, pro arte concinnandi tres lineas, easque in varias formas mutandi habetur, satis elucet, inepta scientia est , quæ in verbis disponendis, circumagendis aut torquendis unicè occupatur.

§.XLVI. Juxta hæc igitur, vulgari modo reducere, maximam partem nihil aliud est; quam errorem errore tegere, ingenia dissentium torque-re, ac magno conatu magnas nugas agere, inscitiamque professa opera ostendere.

CAP.

## CAPUT XI.

DE

VARIETATE SYL-  
LOGISMORUM SIM-  
PLICIUM.

## §. I.

**L**iceat hanc breviter persequi. De veritate & falsitate nihil dicemus, quia hoc ad Compositos etiam pertinet, adeoque alibi considerabitur. Est ergo Syllogismus simplex (i) vel *Incomplexus*, vel *complexus* aut, si mavis *perspicuus* vel *obscurus*, vid. Aut. art. cog. p.3. c.2.

§. II. Prior est, qui gaudet terminis *simplicibus*, quorum comparatio est *perspicua*. Posterior vero, in quo reperiuntur *propositiones incidentes*, que varia ratione *obscuritatem pare-re possunt*, quod nonnullis exemplis ex Autore art. cog. p.3. c.10. declarabimus.

## §. III.

§. III. Si quis ita argumentetur:

*Sol est res sensu destituta,*

*Persæ adorant solem,*

*E. Persæ adorant rem sensu de-  
stitutam,*

dubium esse potest an argumentum  
recte se habeat, quia prædicatum  
Conclusiones integre in majore non  
proponitur, nec cum medio termi-  
no aperte connectitur, sed dubium  
facile tollitur, si majorem ita conci-  
pias: *Quicunque adorant solem, illi  
adorant rem ratione destitutam.*

§. IV. Ad eundem modum, ita ar-  
gumentum aliud concipitur:

*Jus civile & canonicum multa  
vana & impia continet,*

*Legulei venerantur jus civile &  
Canonicum,*

*E. Legulei venerantur multa vana  
& impia.*

§. V. Aliud exemplum laudatus  
antea Autor suppeditat:

Lex

*Lex divina præcipit honorare Reges  
Ludovicus XIV. est Rex,  
E. lex divina præcipit honorare  
Ludovicum XIV.*

nam hic dubium oriri potest , quia termini sunt disjecti in majore & conclusione, ac insuper major plene non concepta.

§. VI. Sed difficultas cessabit, si ita argumentum concipiās:

*Omnis Reges ex lege divina sunt  
honorandi*

*Ludovicus XIV. est Rex,  
E. Ludovicus XIV. ex lege divina est  
honorandus.*

§. VII. Geminum exemplum est, quod *d.p.3.c.12.* profertur:

*Officium Christiani est, non laudare eos, qui sunt magnorum  
criminum rei,*

*Duellatores magnorum criminum  
sunt rei,*

*E. offi-*

*E. officium Christiani est, non laudare duellatores,*  
 hic iterum in majore & conclusione  
 subjectum & prædicatum consueto  
 ordine non conparent.

§. VIII. Ad hunc sensum etiam  
 pertinent Syllogismi *modales* & *Ex-  
 ponibiles*, quorum plures recenset  
*Weisius p. I. l. 1. c. 9.* addita paraphrasi,  
 quæ tamen subinde rem magis in-  
 volvit, quam explicat.

§. IX. Non magna difficultas est,  
 si debite attendas, tales Syllogismos  
 resolvere, quod uno & altero exem-  
 ple ostendemus:

*Necesse est hominem esse animal,*  
*Necesse est Petrum esse hominem,*  
*E. necesse est Petrum esse animal,*  
 hunc breviter ita explicabis:

*Omnis homo necessario est animal,*  
*Petrus necessario est homo,*  
*E. Petrus necessario est animal.*

§. X.

§. X. Aliud exemplum suggestit  
Weisius d. l.

*Necessè est incredulum damnari,*  
*Necessè est incredulum esse homi-*  
*nem,*

*E. Necesse est, quendam hominem*  
*damnari,*

quod itidem sic planissime expli-  
cabis :

*Omnis incredulus necessariò da-*  
*mnatur,*

*Omnis incredulus necessariò est*  
*bomo,*

*E. quidam homo necessariò da-*  
*mnatur.*

§. XI. Addit Idem Autor tertium :

*Necessè est scribentem movere ma-*  
*num,*

*Possibile est Notarium scribere,*  
*E. necesse est, Notarium movere*  
*manum,*

hujus hæc erit perspicua resolutio :

*Omnis*

*Omnis scribens necessariò movet manum,*

*Notarius potest actu Scribere,*

*E. Notarius necessariò movet manum,*

*quod si in minore faltem dicas: Notarius potest scribere, ut actum excludas, tum erunt quatuor termini.*

**§. XII.** Subjungam adhuc unum ex eodem Autore:

*Impossibile est impium salvare,*

*Contingit Christianum esse impium,*

*E. impossibile est aliquem Christianum salvare,*

*quod ita resolvendum est:*

*Nullus impius potest salvare,*

*quidam Christianus aliquando est impius,*

*E. quidam Christianus non potest salvare,*

*sic non opus habebimus prolixitate Weisii, qua in hoc & cæteris exemplis, successu parum felici, utitur.*

**§. XIII.**

§.XIII. Aliquando etiam Syllogismi modales seducunt & transversos agunt Scriptores , quo pertinet sequens exemplum:

*Possibile est omne currens esse leporem,*

*possibile est omne currens esse hominem,*

*E. possibile est hominem esse leporem,*

quod Weisius d.c.9. El.2. c.7, §.2. sic resolvi jubet:

*O. cursus aliquando potest præstari à lepore,*

*O. cursus aliquando potest præstari ab homine,*

*E. quoddam, quod aliquando potest præstari ab homine, aliquando præstari potest à lepore.*

§.XIV. Enimvero hæc non paraphrasis accurasier, ut censet Weisius, sed vera immutatio est , quis enim credat conclusionem posteriorem cum

cum priori coincidere? manifestum potius est, quod per eundem medium terminum duplex diversa conclusio afferatur.

§. XV. Mirum est, quod homines eruditi non intelligant, utramque propositionem esse falsissimam, quis enim concedat, *omne currens posse esse leporem aut hominem: vel omnem cursum ab illo aut hoc posse prestari?* Verum est, quod cursus quoad totam suam comprehensionem possit tribui homini aut lepori, sed non quoad totam suam extensionem, quod tamen ad universalitatem requiritur, nam praeter hominem & leporem mille subjecta currentia esse possunt, hinc impossibile est, ut omne currens, seu quicquid currit, aliquando sit homo vel lepus.

§. XVI. Idem Autor d.c.g. profert etiam hoc exemplum:

*Contingit omnem hominem maveri,*  
Con-

*Contingit omne currens esse hominem,*

*E. contingit omne currens moveri,*  
hic cum conclusio videatur absurdia,  
cum non contingens, sed necessari-  
um sit, currens moveri, hinc vitium  
in eo subesse putat laudatus Autor,  
quod contingens hic sumatur in  
sensu exclusivo s. negative , pro eo,  
quod non sit necessarium, adeoque  
Syllogismus resolutus ita sonet:

*Nullum, quod necessario est homo,  
moveretur necessario,*

*Nullum currens necessario est ho-  
mo,*

*E. nullum currens moveretur nece-  
sario.*

§.XVII. Sed mira est illa analysis,  
postquam vix mica prioris sensus  
amplius comparet, quod ex collati-  
one facilè liquet. Cur non malim  
ita dicere:

*Omnis homo aliquando moveretur,*  
**K** *Omne*

*Omne currens (curribile) aliquando est homo,*

*E. omne currens (curribile) aliquando movetur.*

§.XVIII. Sic manet sensus, & conclusio non simpliciter pro falsa haberi debet. Sive autem vera, sive falsa sit, id amplius liquet, minorem esse falsam, nam falsissimum est, quod *vel currens vel curribile omne, sit aliquando homo*, cum praeter hunc milie subiecta currentia vel curribilia occurrant, quod si adeo ex falsis præmissis falsa sequatur conclusio, hoc nemini intelligenti mirum videri potest.

§.XIX. Circa Syllogismos Expobiles etiam non magna aderit difficultas, modo debite attendas. Interim vulgo falsas regulas Syllogisticas circa illos quoque adhibent, e.gr.

*Omnis Imperator est homo (quidam,)*

*Solutus*

*Solus Leopoldus est Imperator,*  
*E. solus Leopoldus est homo* (qui-  
dam,)

hunc Syllogismum vitiosum cre-  
dunt, quod minor in prima figura  
sit negativa, *vid. Weis. l. 1. c. 10. §. 4.*  
sed addita à nobis parenthesis osten-  
dit, eum esse vel bonum, vel vitium,  
si quod subest, à quatuor terminis  
dependere.

§. XX. Idem dicendum de simili  
exemplo, quod *Id. l. 2. c. 7. §. 4.*  
profert:

*Quicunque scripsit apocalypsin, ha-  
buit manus,*

*Solus Johannes scripsit apocalypsin,*  
*E. solus Johannes habuit manus,*  
nam hoc argumentum neutiquam  
ob minorem negativam improban-  
dum est, sed vel pro bono debet ha-  
beri, si scil. prædicatum conclusionis  
accipiatur particulariter, sicut in  
**Majore**, vel, si in suppositione va-  
rietur,

rietur, ejus vitium quatuor terminis tribui.

§.XXI. Præter Syllogismos expónibiles, vulgo etiam habent *Expositorios*, quando in tertia figura, medi-us terminus generalis, per singula-rem illustratur, atque ita conclusio per illum probanda, amplius confir-matur, vid. Thomas, Log. cap. 42.

§.XXII. Quæ docendi ratio meri-tò pro ambigua & non necessaria, habetur, nam sane medi-us terminus generalis, ejusdem est efficaciæ, cu-jus singularis, hinc ille non amplius per hunc probatur aut illustra-tur, sed potius eadem conclusio, per duos diversos medios terminos, ad-struitur, quemvis tamen suo sensu heic abundare, facile patior.

§.XXIII. In genere autem circa Syllogismos obscuros observan-dum, quod eos intelligere debea-mus, non quo iis utamur sine net-cessi-

cessitate, sed quo hominum ineptum, nugas suas his involucris s<sup>e</sup>pe involventium , conatus retundere queamus, ceu etiam submonuit, *Dn. Weisius l.2.c.7. in fin.*

§.XXIV. Pono (II.) Syllogismus est *perfectus*, in quo tres propositiones naturali ordine exhibitur, & *imperfectus*, ubi propositio aliqua est omissa, quorsum refertur *Enthymema* , *Exemplum* & *Inductio*, vid. *Weis.d.l.2.c.8.* circa quæ posteriora observandum, quod in iis aliquando medius terminus , aliquando ejus probatio afferatur.

§. XXV. Ulterius (III.) *Remotus* vel *propinquus*. Has denominations Syllogismus non absolutè , sed saltem intuitu contradictionis, aut demonstrationis, quam quis molitur, accipit, nam tum s<sup>e</sup>pe fieri solet, ut remote saltem quis contradicat vel demonstret, ac postea per varios

prosyllogismos, thesin oppugnandum proprius feriat vel assertionem confirmet.

§. XXVI. De cætero homines cordatos & doctos Syllogismi ejusmodi remoti, quas magna Pro- & Hyposyllogismorum strues sequi debat, non decent, sed ab imperitis & vaniloquis plerumque illi adhibentur, quo eruditionem, quam non habent, inani strepitu apud incautos mentionantur.

§. XXVII. Demique (IV.) est *Directus* & *Indirectus*. Hæ quoque denominations in casu contradictionis saltem Syllogismum afficiunt. Nam si aperte falsitatis thesin propositam arguam, tum Syllogismus audit directus, si vero ex thesi falso quid eliciam, tum indirectus vocatur.

§. XXVIII. Directa argumentatio iterum variè se habet, nam aliquando

quando antithesis thesi oppugnandæ nudè attemperatur, proprioque medio termino ostenditur, v.gr. thesis oppugnanda sit: *Nullus indoctus honoratur, tum ita eadem directe impugnatur:*

*Quicunque Regi sunt familiares,  
illi honorantur,*  
*Multi indocti Regi sunt familiares,*  
*E. multi indocti honorantur.*

§. XXIX. Aliquando tota antithesis in locum subjecti assumitur, de eaque veritas prædicatur, h. m.

*Quicquid argumento familiaritatis Regiæ probari potest, illud est verum,*

*Multos indoctos honorari , argu-  
mento Regiæ familiaritatis  
probari potest,*  
*E. multos indoctos honorari , ve-  
rum est.*

§. XXX. Denique aliquando thesin oppugnandam, ad conditionem subjecti redigimus, addito falsitatis prædicato, v.gr.

*Quicquid amicitia Regia refellit,  
illud est falsum,*  
*Nullum indoctum honorari, ami-*  
*citia Regia refellit,*  
*E. Nullum indoctum honorari, fal-*  
*suum est.*

De cætero ex tribus illis concludendi rationibus, prima reliquis præstat, iisque magis videtur erudita.

§. XXXI. Indirecta argumentatio ex thesi oppugnanda, majorem aut minorem propositionem facit, ac inde conclusionem absurdam elicit, v. gr.

*Nullus indoctus honoratur (est the-  
sis oppugnanda,)*

*Multi Regis amici sunt indocti,*  
*Et multi Regis amici non honoran-  
tur,*

Con-

**Conclusio est absurda , ergo etiam alterutra præmissarum , non minor, sed major, seu thesis oppugnanda.**

**§. XXXII.** Ista argumentandi ratio meritò indirecta vocatur , nam cum aliàs per medium terminum proprium, thesin datam oppugnem , hic rem inverto, & thesin propositam pro medio termino assumo, & ex eo contradictoriam mei medii termini, quam falsam & absurdam judicio, velut conclusionem, elicio.

**§. XXXIII.** Hinc in argumentis indirectis Respondens etiam vel alteram propositionem , quæ ipsius non est, vel conclusionis falsitatem negat, quod nemini absurdum videri debet, nam eo ipso, quis conclusionis contradictoriam , quæ opponentis est medius terminus, improbat , quod in omni legitima disputatione fieri solet.

§. XXXIV. Quod si quis ita argumentetur:

*Ex quacunque sententia sequitur,  
amicos Regis non esse hono-  
randos, illa est falsa,  
Ex proposita sententia hoc sequi-  
tur,  
E. est falsa,*

id argumentum non indirectum,  
sed directum esset, licet generalius  
paulò ac remotum.

§. XXXV. Nam ad indirectum re-  
quiritur, ut thesis proposita actu in  
locum præmissarum assuniatur , ac  
inde conclusio falsa eliciatur, sed in  
exemplo proposito, thesis allata ma-  
net, eidemque conclusio contraria,  
licet non valde artificiosa, *Ergo sen-  
tentia*: Nullum scil. indoctum ho-  
norari, *falsa est*; opponitur, ac pro-  
prio medio termino, *quod falsum a-  
liquod ex thesi oppugnanda sequatur*,  
*confirmatur*.

CAP.

CAPUT XII.  
DE  
SYLLOGISMO COM-  
POSITO.

§. I.

Uxta indicium c. 9. §. 8. de hoc nunc agendum erit. Ex mea sententia duplex est, vel enim eundem Syllogismum, sed imperfectè, bis exhibet, quo pertinet *Copulativus*, *Disjunctivus*, sub quo continetur *Dilemma*, & *Conditionalis*, vel plures Syllogismos simplices, occultatâ unâ & alterâ propositione, continet, qualis est *Sorites*.

§. II. Syllogismus Copulativus est *Enthymema sine majore propositione, oratione copulante & positiva bis propositum*, v.gr. thesis esto:

*Carolus non est subditus, ratio, quia est Rex.*

K 6

§. III.

§.III. Exinde ita arguitur:

*Carolus non ē Rex est ē Subdi-*  
*tus,*

hic proponitur minor & conclusio,  
sed quodammodo dubitanter ac ti-  
mide, ac quasi quæratur, nonne ve-  
rum est, Rex & subditus in Carolo  
simul stare non possunt? postea posi-  
tive res repetitur:

*Carolus est Rex E.*

*non est subditus,*

nam & hæc, & propositio præcedens  
præsupponunt hanc majorem:

*Quicunque est Rex non est subdi-*  
*tus.*

§.IV. Videtur etiam affirmativè  
res procedere, v.gr.

*Petrus ē libros tractat ē doctus*  
*est,*

i.e. nonne verum est, quod hæc duo  
cohæreant? dein repeto:

*sed Petrus libro tractat,*  
*E. doctus est,*

[nam]

nam & hic utrobius hæc major præsupponitur:

*Quicunque libros tractat, est doctus.*

§. V. Falsitas igitur & veritas horum Syllogismorum, ex communibus principiis judicari debet, nam si medius terminus alias nullius sit momenti, nec hic valebit, v. gr. in hoc exemplo:

*Prodigales non sunt & idololatre argenti, & servi Dei,  
sed non sunt argenti idololatre,  
E. sunt servi Dei,*

*vid. Autor. art. cog. p. 3. c. 14. in fin. conclusio hæc est falsa, quia medius terminus nullius est momenti, quod ex suppleta Majore appareat:*

*Quicunque non est idololatra argenti, est servus Dei,*

§. VI. De cætero Syllogismi illi copulativi in seriis disputationibus merito exulare debent, est enim ra-

tio proponendi in iis, non adeo naturalis, *vid.* Weis. p. I. l. 2. c. 5. §. 6. Jac. Thomas. c. 46. §. 23. imò crediderim, eos vel à Sophistis esse introductos, vel ex vulgari hypothesi, qua sine prævia conclusione Syllogismos formare solent, habere originem, nam juxta hanc facile existimatum fuit, novam adesse speciem, modo tres lineæ paululum immutatae extarent.

§. VII. Syllogismus disjunctivus est itidem *Enthymema sine majore, bis, oratione disjunctiva, & positiva propositum*, nam primo dubitanter, & aliorum sententias quasi exploraturus, minorem & conclusionem disjunctive propono, postea animosius, uno remoto, alterum pono.

§. VIII. Exemplum præbet illud Ciceronis, *vid. Aut. art. cog. p. 3. c. 14.*

*Qui Cæsarem occiderunt, vel sunt parricidiæ, vel defensores libertatis,*  
i.e.

i.e. nonne verum est, ista duo prædicta idem subiectum afficere non posse? hoc si dandum mihi esse existimem, dein positive dicta repeto:

*At non sunt parricidae,*

*E. sunt defensores libertatis,*

nam ubique præsupponitur hæc major:

*Quicunque non sunt parricidae, illi sunt defensores libertatis.*

§. IX. An igitur bene vel male conclusum sit, statim appareat, si maiorem omissam præmittas, & solet dupli modo heic peccari, vel dum termini, qui sibi contrarii non sunt, velut contrarii opponuntur, vel dum contenditur, subiectum necessariò unum ex prædicatis adductis admittere debere, cum nullum tamen ei conveniat, utrumque vi- tium statim appareat, si observata conclusione & medio termino, maiorem, ceu diximus, præmittas.

§. X.

§. X. E.gr. Si thesis sit: *hoc simulacrum est durum*, cur? *quia non est lapideum*, statim vides, medium terminum esse nullius momenti, in primis si etiam majorem inde construas, hinc non poterit falsus Syllogismus disjunctivus inde oriri , vid. Thomas.c.48. §.10.

§. XI. Veli dicas: *Paulus non est Germanus*, cur? *quia non est Gallus*, tum medii termini imbecillitas itidem illicò apparet, hinc vel conclusio erit falsa, vel, si vera, ex præmissis tamen non sequetur, quod in primis patet præmissa majore, vid. Weisius l.z.c.s. §.5.

§. XII. De dilemmate nihil valde notandum est, nam perinde, sicut in Syllogismo disjunctivo , minor & conclusio bis proponitur, id saltem discriminis intercedit , quod in dilemmate prædicatum conclusionis in prima propositione non exprimatur,

tur, sed saltem subintelligatur.

### §. XIII. E.gr.

*Aut peregrinus Princeps eligi debet,  
aut indigena,*

(aut nullus, quod ex præcedentibus  
necessario sequitur adeoque subin-  
telligitur,)

*Sed nec peregrinus nec indigena,*

*E. nullus Princeps eligi debet,*

*vid. Weis. l.2.c.5. §.8.* nam hic etiam  
prior propositio interrogativè velut  
proponitur, posterior vero positive,  
utraque autem præsupponit hanc  
majorem:

*Quicunque neque ut peregrinus, ne-  
que ut indigena eligendus est,  
ille plane eligi non debet.*

§. XIV. Eodem igitur modo, in  
dilemmate potest impingi, sicut in  
Syllogismo disjunctivo, vitium ve-  
rò statim deprehenditur si observa-  
ta conclusione, medium' terminum  
consideres, ac majoris evidentiæ  
causa

causa, majorem præmittas, de vitiis in forma, nulla est quæstio, quia argumentum imperfectum bis saltem proponitur.

§. XV. Ut exemplo rem illustremus, vitium in hoc dilemmate statim apparet :

*Aut deformis uxor ducenda est, aut formosa,*

*Sed nec deformis, nec formosa,*

*E. nulla ducenda est,*

nam medius terminus adeo infirmus est, ut, arguento in regularem formam redacto, & major & minor possit negari.

§. XVI Aliquando dilemmati probationes inferuntur, vid. Thomasius c. 48, §. 14. Autor *art. cogit.*, p. 3. c. 13. quæ tamen ad illud non pertinent, adeoque, ad vim ejus rectè intelligendam, accurate à cæteris separari debent.

§. XVII. Syllogismus conditionalis

lis seu Hypotheticus itidem nihil aliud est , quam *Enthymema vel sine majore, vel minore bis, prima scil. vice, conditionaliter, secunda, pure propositum, quod ex exemplis fiet manifestius.*

### §. XVIII. E. gr.

*Si credens salvatur, & Petrus salvatur,*

*Sed credens salvatur,*

*E. & Petrus salvatur,*

hic major & conclusio bis, cum conditione scil. & pure adducitur, minor autem, quod *Petrus credat*, velut nota aut concessa præsupponitur.

### §. XIX. Quod si de Petro saltem sermo sit, v. gr.

*Si Petrus credit, salvatur &c.*  
tum minor & Conclusio bis comparat, majore velut concessa, præsupposita. Possunt etiam omnes propositiones conditionatè propo-

ni

ni ac pure deinde, repeti, v. gr.

*Si omnis credens salvatur & Petrus credit, sequitur quod & Petrus salvetur, sed &c.*

verum illud rarius fieri solet, nam si omnes propositiones ita in promptu sunt, tum sub habitu categorico argumentatio facile proponetur.

§.XX. Ex nostra hypothesi sequitur, nullum peculiare concludendi fundamentum vel formam circa Syllogismos conditionales occurrere, nam argumentationes imperfetas, adeoque materiam Syllogismorum regularium, illi continent. Hinc porro sequitur, quemvis Syllogismum conditionalem categorice posse proponi.

§.XXI. Evidemt Jac. Thomas. in process. disp. §. 74. jocularem hunc Syllogismum :

*Si non sunt planetæ plures, quam septem, sequitur hominem non esse*

*esse animal rationale,  
Sed verum est prius, ergo & poste-  
rius,  
in formam categoricam agerrime  
redactum iri censet.*

§. XXII. Licet autem hoc admit-  
tendum esset, attamen nostra asser-  
tio nondum vacillaret, cum de Syl-  
logismis, veris ac ad veritatem com-  
parandam pertinentibus accipienda  
foret. Verum & jocularis ille Syllo-  
gismus habitu categorico donari  
potest, h.m.

*Quicquid determinat numerum  
planetarum, illud etiam o-  
stendit, hominem non esse ani-  
mal rationale,*

*Numerus septenarius determinat  
numerum planetarum,*

*E. ostendit etiam, hominem non esse  
animal rationale,*

§. XXIII. Similia exempla non  
difficulter fingi possunt, v.gr.

*Si*

*Si Turca non est Christianus, se-  
quitur, quod Papa sit fæmina,  
Verum esti prius, E. & posterius,  
hoc ita categoricè proponere pot-  
eris;*

*Quicquid ostendit, Turcam non esse  
Christianum, illud etiam mon-  
strat, Papam esse fæminam,  
Religio Christiana ostendit, Turcam  
non esse Christianum,  
E. monstrat etiam, Papam esse fæ-  
minam.*

§.XXIV. Difficultas igitur, qua in his Syllogismis, ad formam categoricam reducendis, subesse creditur, in eo posita est, quod, cum medius terminus manifeste ineptus sit, eumque thesis probanda semper vélut aspernetur ac à se repellat, ejus cum hac collatio adæquata, non adeo in promtu sit, cum è contrario conditionaliter illa facile eloqui liceat, quia ita ratio simpliciter saltem cum con-

conclusione refertur, adæquata vero terminorum comparatio non instituitur.

§.XXV. Vulgo Syllogismos copulativos, disjunctivos & hypotheticos definiunt; quod sint *ii*, *quorum major sit copulativa*, *disjunctiva* & *hypothetica*, vid. Thomas. Log. c. 46. §. 21. c. 47. §. 2. c. 48. §. 1. Ullman. *Synops. Log. I. 3. c. 8. sect. 2. 3.* Weis. p. 1. l. 2. c. 5. quæ nimis jejuna, ac ab externo cortice hausta est definitio, cum idem per idem explicet, nec vim rei attingat, hinc etiam amplius falsum est, quod Syllogismi illi, ad modum regularium Syllogismorum, tribus propositionibus constare existentur, quod judicium non aliunde est, quam quod ex tribus lineis Syllogismos æstimare soleant.

§.XXVI. In specie falsum quoque arbitror, quod Syllogismi conditionales duas habeant figuræ, quæ his mu-

muniantur regulis, (1) posito antecedente, ponitur consequens, non vero, remoto antecedente, removetur consequens, (2) remoto consequente removetur antecedens, non autem, posito consequente ponitur antecedens, *Ibid. cit.*  
 Autor d. l. add. Autor art. cog. c. 14.

§. XXVII. Nam figuræ nullæ hic sunt, quia argumentationes imperfectæ saltem occurrunt, quæ ad regulares figuræ queant redigi, regulæ verò allatæ fluunt ex falsis regulis Syllogisticis, quas c. 10. prolixe refutavimus, hinc hæc consectaria merito etiam reprobantur, nam in exemplis, quæ jactant, vel nulla est absurditas, vel illa à quatuor terminis, non à lubricis illis regulis dependet.

§. XXVIII. Videamus specialius; contraprimam regulam sic peccatur:  
*Si Chinenses sunt Mahumetani,  
 sunt infideles,*

At

*At non sunt Mahometani,  
Ergo non sunt infideles,  
nam conclusio hic est absurdia! Ve-  
rum si prædicatum conclusionis su-  
matur particulariter, nulla est absur-  
ditas, si autem generaliter, tum eva-  
dunt quatuor Termini.*

§.XXIX. Eodem exemplo secun-  
da regula etiam illustratur, sed assu-  
memus aliud ex Weisio, d.l.

*Si miles est doctus , novit libros;  
(nempe sicut eruditi solent,) .  
Sed novit libros (scil. ut alii ho-  
mines etiam indocti nosse  
solent,)*

*E. miles est doctus,*

Hæc conclusio itidem pro falsa ha-  
betur! Sed jam indicavimus in ad-  
dita parenthesi veram causam, nem-  
pe quatuor terminos, quod si autem  
medius terminus eodem sensu acci-  
piatur, ac, in Syllogismo formaliter  
proposito queat minor probari, tum

L

con-

conclusio erit verissima, idque virtute præmissarum.

§.XXX. Omnis igitur error exinde habet originem, quod quantitatem prædicati vel non intelligant, vel non observent, si igitur hunc lapsum evites, objecta exempla omnia, qualia etiam Weisius d. l. commemorat, facile dilues.

§.XXXI. Nec opus etiam erit, limitatione, quod circa terminos convertibiles regulæ allatae locum non habeant, vid. Ulman. d. l. 3, c. 7, scđ. 2, nam omnes termini convertibles sunt, si modo unionem debite attendas, ut nimis imperitum sit tum dum illos asserere, si forte fortunā, prædicatum secundum totam suam extensionem, subjecto tribuatur.

§.XXXII. Ad ineptias Syllogismorum disjunctivorum merito referuntur hujus generis argumenta:

*Ans. Doctores, aut non es,*

*sed*

*sed es Doctor,*

*E. es Doctor,*

quæ non aliunde habent originem,  
quam quod Syllogismi fortuiti, sine  
præsupposita conclusione & medio  
termino, effundi soleant, nam si ut  
instrumentum scientiæ Syllogismus  
semper supponeretur, hujus furfuris  
argumenta non prodirent.

**S. XXXIII.** Idem videtur dicen-  
dum, si de rebus privative contrariis,  
formetur argumentum:

*Aut dies est, aut nox est,*

*sed dies est,*

*E. nox non est,*

nam hic etiam circulus subesse, ac  
idem per idem probari videtur, nam  
qui negat, noctem non esse, ille et-  
iam non fatebitur, quod sit dies, a-  
deoque ista ratione non constringe-  
tur.

**S. XXXIV.** De usu Syllogismo-  
rum disjunctivorum & conditiona-

lium idem dicendum esse, forsitan quis existimabit, quod de copulati-  
vis diximus §. 6. Verum ei non acce-  
derem, nam in illis ratio proponen-  
di longe magis naturalis est, quam  
in his, præterea cum altera proposi-  
tio aliquando vel non statim in-  
promtu, vel etiam ita certa sit, ut  
de ea dubitare non liceat, hinc vitio  
nemini vertendum videtur, si dis-  
junctivè vel conditionaliter ratio-  
nem suam proponet.

§. XXXV. Quoad illos, qui in ar-  
te contradicendi non satis sunt ex-  
ercitati, peculiaris adhuc occurrit ra-  
tio, quare Syllogismis conditiona-  
libus potius, quam categoricis utan-  
tur. Nimirum iis, circa dandas pro-  
bationes, plerumque aqua hære-  
solet, hinc malunt amplecti argu-  
mentationem hypotheticam, quo  
propositionem omissam, probatio-  
nis loco deinde addere queant, quod

. . . .

. . . .

ipsis

ipsis non liceret, si argumentatio categorica omnem apparatus statim absumeret.

§. XXXVI. Nam si, v. gr. ita arguas :

*Si Cajus est Pater, potest nomine filii actionem injuriarum movere,*

*Sed est Pater, E.*

*potest nomine filii actionem injuriarum movere,*

tum, si forte consequentia negetur, omissa proposito major, quod omnis *Pater actionem illam movere querat*, probationis locum subire potest. Idem est, si minor sit omissa, nam & eam, ne plane taceas, in vicem qualis *probationis*, deinde protrudere licet.

§. XXXVII. Inter Syllogismos compositos etiam referri solent *Aſſumptivi*, qui majore per relationem aut similitudinem composita, constare

stare dicuntur, v. gr.

*qualis Rex talis Grex,*

*sed Rex est bonus E.*

*Ergo grex est bonus,*

*Vid. Thomas. c. 46. Ulman. Synops. Logic. l. 3. c. 8. sect. 1. Weis. l. 2. c. 5. § 9.*

**§. XXXVIII.** Sed hi meritò rejiciuntur , nec enim aliunde habent originem , quam ex saepius notata incongrua hypothesi, quae sine præsupposita conclusione & medio termino, Syllogismi effunduntur, ac ex numero linearum aestimantur.

**§. XXXIX.** Nam alias si penitus rem consideremus, facile liquet, in exemplis jactatis esse enthymema, ita quidem, ut loco omissæ propositionis, ejus probatio sit allata, quæ illam apud incautos mentiatur, ceu ex adæquata resolutione facile intelligitur.

**§. XL.** Datum exemplum ita resolvitur :

*Ubi*

*Ubi Rex est bonus , ibi & grex est  
bonus,*

*Hic Rex est bonus,*

*E. & grex est bonus,*

*ratio Majoris est, qualis Rex , talis  
grex, quæ in vulgari schemate locum  
omissæ majoris supplebat.*

**§. XLI.** Eadem est ratio aliorum  
exemplorum, v.gr.

*Sicut se nauta habet ad navem ,  
ita Princeps ad Rempublicam.*

*sed nauta navem gubernat ,*

*E. & Princeps gubernat rempublica-  
cam,*

cujus hæc erit explicatio :

*Quicunque est instar nautæ, ille  
gubernat rempublicam,*

*Princeps est instar nautæ,*

*E. gubernat rempublicam,*

*ratio Majoris est, quia sicut se habet  
nauta ad navem, ita Princeps ad Rem-  
publicam.*

L 4

**§. XLII.**

§. XLII. Liceat adhuc aliud exemplum addere:

*Quod in corpore est sanguis, illud in Republica est pecunia,  
sed demin sanguine flaccescit corpus,*

*E. demin pecunia flaccescit Res publica,  
quod in hunc modum recte ordinabis:*

*Quicquid est instar sanguinis, sine eo flaccescit respublica,*

*Pecunia est instar sanguinis,*

*E. sine pecunia flaccescit respublica,  
ratio Majoris est, quia quod in corpore est sanguis, illud in republica est pecunia.*

§. XLIII. Addi adhuc meretur sequens exemplum:

*Sicut se habet rete piscatorum, ita  
Eccl<sup>esi</sup>a,  
sed in reti piscatoris dantur boni &  
mali pisces,*

*E. &*

*E. & in Ecclesia boni & mali Christiani,*

quod hac ratione explicabitur:

*Quicquid est instar retis piscatorii, in eo dantur boni & mali Christiani,*

*Ecclesia est instar retis piscatorii,*

*E. in ea dantur boni & mali Christiani,*

ratio majoris est, quia sicut se habet  
rete piscatorium, ita & Ecclesia.

§. XLIV. Illud adhuc observandum, quod probatio non tantum locum propositionis omissæ suppletat, sed & aliquando ejus pars circa propositionem adductam occurrat, quod ex exemplis §. 41. 42. 43. allatis intelligi potest, nam in ultimo tota probatio hæc est: *sicut se habet rete piscatorium, ita & Ecclesia, in illo autem dantur boni & mali pisces.* Reliquorum eadem est ratio, quod prolixè ostendere non attinet.

**§. XLV.** Atque ex his non tantum accuratè intelligitur concludendi ratio, sed & vis adhibiti medii termini, seu quām bene aut male concludatur. De cætero è re omnino èst, vulgares ejusmodi formas non admittere, per eas enim non tantum Tirones à solida cognitione abducuntur, sed & iis efficitur, ut illi intimam ratiocinandi formam plane non intelligent.

**§. XLVI.** Ad Syllogismos assumptivos etiam referendum patet Weissius d.l.z.c.s. §.9. hoc exemplum:

*Quod Darius est, id non est Xerxes,  
Darius est Rex Perfarum,*

*E. Xerxes non est Rex Perfarum,* sed minus recte, quemadmodum etiam difficultas, quæ in ejus explicazione subesse creditur, non nisi ex falsis regulis Syllogisticis, ac ex vulgari hypothesi, qua conclusio negligitur, existit.

**§. XLVII.**

§.XLVII. Nam aliàs si conclusio-  
nem attendas, apparet præmissas esse  
transpositas, ac minorem, occupasse  
locum majoris, & vice versa, præte-  
rea si observes quantitatem prædi-  
cati conclusionis, illudque, ceu par-  
est, eodem modo ubique supponas,  
tum Syllogismus maxime naturalis,  
simplex & verissimus inde emergit:

*Darius est Rex Persarum,* (qui-  
dam,)

*Xerxes non est Darius,*

*E. Xerxes non est Rex Persarum,*  
(quidam.)

§.XLVIII. Pergimus ad alterum  
Syllogismorum compositorum ge-  
nus, nempe Soritem, vid. §.i. qui est  
*complexus duorum vel plurium Syllo-*  
*gismorum, unâ vel alterâ propositione*  
*carentium.* Sic evidenter ejus in-  
doles exprimi videtur, quam si cum  
Peripateticis, soritem pro complexa  
variarum propositionum tantum ha-

bemaus, vid. Thomas. c. 49. §. 16. Lili-  
man. *Synops. log. I. 3. c. 9. sect. 5.*

§. XLIX. In resolvendo ergo **sor-  
rite** primo respiciendum est ad **con-  
clusionem**, deinde ejus medium ter-  
minum, ex quo ultimus seu princi-  
palis existit Syllogismus. Postea  
videndum, quomodo proximus ille  
medius terminus amplius probetur,  
**ex quo** nova emerget argumentatio,  
sive Pro-syllogismus, quem plures se-  
qui possunt, si medius terminus ulte-  
rius probandus existimetur.

§. L. Exemplo uno & altero rem  
declarabimus:

*O. Avarus est idololatra,*

*O. idololatra mortaliter peccat,*

*O. mortaliter peccans, damnatur,*

*E.O. Avarus damnatur.*

§. LI. Hic si, juxta præcepta data,  
attendas conclusionem & proxi-  
mum medium terminum, tum enaf-  
citur Syllogismus principalis:

*O. mor-*

*O. mortaliter peccans damnatur,*  
*O. avarus mortaliter peccat,*  
*E. O. avarus damnatur,*  
quo facto liquet, in sorite duas ultimas propositiones continere Syllogismum principalem, & minorem esse subintellectam.

§. LII. Cum autem minor dubia sit, hinc assumto novo medio termino, prosyllogismus prodit:

*O. idololatra mortaliter peccat,*  
*O. avarus est idololatra,*  
*E. O. avarus mortaliter peccat,*  
quæ erat minor præcedentis argumenti. In Sorite autem hunc prosyllogismum exhibent duæ priores propositiones, ita quidem ut conclusio sit omissa & major secundo loco posita.

§. LIII. Quodsi in Sorite Propositiones augeantur, tum pro ratione singularum, novus existit Syllogismus :

O. rationale est docile,  
 O. Docile potest seduci,  
 O. quod potest seduci, potest errare,  
 O. quod potest errare, potest Deo  
 disPLICERE;  
 E. O. rationale potest Deo disPLI-  
 cere.

§. LIV. Nam inde tres existunt  
 Syllogismi, primo principalis, qui  
 ultimo loco comparet:

Quicquid potest errare, potest Deo  
disPLICERE,

O. rationale potest errare, E.

O. rationale potest Deo disPLICERE.

§. LV. Minor probatur per Pro-  
 syllogistum:

Quicquid potest seduci, potest er-  
rare,

O. rationale potest seduci, E.

O. rationale potest errare,

Hujus argumenti minor novo fir-  
 matur Hyposyllogismo:

Quicquid est docile, potest seduci,

O.ra-

*O. rationale est docile, E.*

*Oratione potest seduci,*  
*vid. Weis. l. 2. c. 8. §. 6.*

**§. LVI.** *Quod si igitur calculum recte subducamus, in sorite tantum afferuntur Propositiones Majores, ac ex singulis peculiaris exoritur Syllogismus, quia tamen subjectum Conclusionis Principalis statim est exprimentum, ideo sub initium occurrit etiam Propositio Minor, sicut etiam Conclusio ipsa tandem necessario subjicienda, atque hinc est, quod quoad primum & ultimum Syllogismum, duæ propositiones adsint, intermedii autem omnes, quotquot etiam fuerint, ex una nascantur.*

**§. LVII.** *Hac ratione si in resolvendo sorite procedas, tum non tantum intelliges, vim mediorum terminorum, & an adeo, bene vel male concludatur, sed & simul solidè percipies causam numeri Syllogismorum,*

morum, tum quare prima proposi-  
tio transponenda sit.

§. LVIII. Vulgò circa soritem re-  
cordantur suæ hypotheseos, qua sine  
præsupposita conclusione, syllogis-  
mos concinnare solent, hinc quan-  
do sorites resolvendus est, à primis  
propositionibus incipiunt, atque ita  
demum ad conclusionem deveni-  
unt, quo autem res rectè procedat,  
hanc procedendi rationem nonnul-  
li inculcant.

§. LIX. Sumatur Enunciatio secun-  
da, loco Majoris; prima vero loco  
Minoris, tum conjungatur subje-  
ctum Primæ, cum prædicato secun-  
dæ, sic aderit primus Syllogismus.  
Deinde sumatur enunciatio. Penulti-  
ma loco majoris, & conjungatur  
subjectum Conclusionis & penulti-  
mæ enunciationis, ita ut hoc prædi-  
cetur, inde inferitur ultima Conclu-  
sio. vid. Ullman. *Synops. Log. P. comm.*  
*I.3. c. 9. sect. 5.*

§. LX.

§.LX. Præsupponit illa regula sорitem ex quatuor Propositionibus constantem, & ubi adeo quoad singulos Syllogismos, inde conficiendos , duæ adsunt propositiones. Quodsi autem sorites quinque , sex, septem aut adhuc pluribus constet propositionibus, adeoque quoad intermedios Syllogismos , una saltem propositio adsit, tum regula illa locum non habebit, sed interpolanda & augenda erit,

§.LXI. De cætero licet illa resolvendi ratio à veritate non abeat, est tamen illa merè fortuita, & nisi fallor, ex Syllogismis fortuito effusis, illa est enata , hinc non magis per eam, quam per ipsos Syllogismos, si- ne fundamento confectos proficiimus.

§.LXII. Ejusdem notæ doctrina est, quando *sorites in tot Syllogismos resolvi posse dicitur, quot sunt præmis-*  
*sæ,*

*se, demitâ unâ, Ulman. d. l. aut quando prima propositio ideò transponenda esse putatur, ne emergat figura quarta, Weis. d. c. 8. §. 6.* nam illa omnia cognitionem superficiariam vel potius nullam arguunt, hinc Tritones ista docendi ratione non possunt non à vera cognitione abduci, ac verbis nihil significantibus repleri.

§. LXIII. Sorites rectius omissi-  
tur, ubi serio veritatem inquirere  
animus est, nec enim mens humana  
vîm rationum, earumque cum re-  
probanda cohærentiam tam exacte  
perspicit, ubi plures rationes cumu-  
lantur, ac quædam propositiones o-  
mittuntur, quam ubi singula mo-  
menta plene exhibentur, obruitur  
potius illa rerum considerandarum  
multitudine.

§. LXIV. Hinc videtur sorites esse  
introductus à Sophistis, quo fallaciis  
suis

suis eo magis colorem allincent,  
unde etiam Ulpianus in l.177.de V.S.  
Soritem dixit *cavillationem*, cuius  
natura hæc sit, ut ab evidenter veris,  
per brevissimas mutationes, disputa-  
tio ad ea, que evidenter falsa sunt, per-  
ducatur, ex quo abusus satis liquet:  
add. Autor art. cogit. part. 3. c. I.  
in fin.

## CAPUT XIII.

### DE SYLLOGISMO VERO ET FALSO.

#### §. I.

**P**Ostquam tum forma Syllogismo-  
rum essentialis, tum accidentalis  
explanata est, deinde de veritate &  
falsitate eorum in genere quædam  
addenda sunt.

**§. II.** Pertinet huc Syllogismus  
*Demonstrativus*, *Topicus* & *Sophisti-  
cus*, quam divisionem vulgo à mate-  
ria

ria dependere contendunt, vid. Thom. c. 50. §. 3. Weis. Log. p. I. l. 2. c. 9. §. 1. Ulman. *Synops. Log. part. propr. l. I. c. I.* sed cum tam verbis quam facto docceant, vitium Syllogismi tam ex parte materiae, quam formae oriri, à sola materia utique divisio illa non potest esse desumpta.

§. III. Malim igitur sic incedere: Syllogismus est vel *Verus* vel *Falsus*, Uterque ita dicitur tam ratione forme, quam materie.

§. IV. Syllogismus *Verus* ratione forme est, in quo legitinia Terminorum collatio est facta, secundum ea, quæ in præcedentibus diximus, ratione materie autem, qui cum re conspirat, de quo in genere actum c. 3. Ille dici potest *Bonus*, hic, *verus in specie*.

§. V. *Falsus* itidem vel intuitu forme vel materie sic audit, ille est, in quo vel nulla vel non legitima Ter-

mi-

minorum collatio est facta , quod ex antedictis intelligi debet , hic vero , qui à re dissentit , de quo generaliter egimus c. 4. Ille potest dici *Vitiosus* , hic *falsus in specie* .

§. VI. Tam *Verus* autem quam *Falsus* est vel *certus* , in quo veritas aut falsitas ita evidens est , ut de ea amplius dubitare non liceat , vel *Probabilis* , in quo illa aut hæc asseri quidem potest , sed cum metu oppositi .

§. VII. Ut autem veritas sive certa , sive probabilis , ex disciplinis realibus advenit , ita modum acquirendi eam , supra c. 3. generaliter explicavimus , ut de Syllogismo Vero , hic quidem nihil amplius dicendum videatur .

§. VIII. Vulgo tamen aliter jubent , quando de Syllogismo Demonstrativo & Topico prolixè satis agunt , sed illa vel vana vel à ægocidiorum arbitramur , quod paucis liceat ostendere .

§. IX.

**S. IX.** Nam primò, quoad modum sciendi, existimant, quod omnis scientia sit ex demonstratione, vid. Thomas. c. 50. Et Erotem. Log. pro supplem. addit. c. i. Ulman. log. p. prop. l. i. c. i. cum tamen certissima scientia singulari perceptione intelligatur, ac sit indemonstrabilis.

**S. X.** Hac occasione multa disserunt de causis earumque varietate, vid. Ulman. d. l. quæ ad Logicam non pertinent, causas enim exponere, est res in genere considerare, ab hac vero consideratione Logicam abire, eamque nihil, nisi cogitationes humanas considerare debere, c. i. ostendimus.

**S. XI.** Ulti autem perverse omnem scientiam ex demonstratione reputunt, ita quoad hanc frustra requiritur, ut *subjectum*, de quo aliquid demonstrandum, sit res *necessaria & perpetua*, vid. Ulman. d. l. c. 2. cum enim

enim quævis res, licet contingens sit, suam habeat veritatem, ideo ad scientiam demonstrabilem sufficit, si affectio de subjecto ita demonstretur, ut dubitationi amplius nullus sit locus, qualisunque etiam subjecti sit conditio.

§. XII. Sic licet actio humana à liberrimo hominis beneplacito dependeat, attamen postquam suscepta est, ejus moralitas ex lege satis demonstrari potest. De aliis idem esto judicium, certe *necessitas* & *perpetuitas* subjecti, non aliud habet fundatum, quam cerebrum Aristotelis & Peripateticorum malè purgatum.

§. XIII. Ejusdem notæ sunt, quæ de causa, per quam aliquid demonstretur, quod *efficiens* & *finalis*, illaque vel *activa* vel *emanativa* esse debet, notant, aut de *immediata rationum probantium*, vel de *gradibus*

ne-

*necessitatis, & quod alia propositio sit  
κατὰ παντὸς, alia καὶ ἀυτὸς, alia κα-  
θόλες τερπῶν, vel de demonstratione  
τῆς διότι & τῆς ὅτι, nec non de discri-  
mine Syllogismi demonstrativi & Di-  
dascalici commentantur.*

§. XIV. Sunt tricæ otiosæ, quæ  
modum sciendi non instruunt, sed  
vitilitigiis solum ansam præbent,  
imo bonæ mentis aciem obtundunt,  
aut Saltem debitam in rebus con-  
templandis attentionem vel extin-  
guunt vel impediunt.

§. XV. Non male huc applies,  
quod Autor art. cog. p. 3. c. 15. de vul-  
garibus locis topicis pronunciat :  
*Nihil magis suffocat bonum semen,  
quam Zizaniæ multitudo, nulla re ma-  
gis mens impeditur in producendis &  
fovendis utilibus & solidis cogitatio-  
nibus, quam hac perverfa vulgarium  
cognitionum fertilitate.*

§. XVI. Oceasione Syllogismi To-  
pici,

pici, totum locorum Topicorum apparatus afferunt, sed uti nonnulla in ipsa doctrinâ desiderari solent, ita omnis illa tractatio ad Artem cogitandi non pertinet, de quo infra, c. penult. aliqua dicemus.

§. XVII. De Syllôgismo Falso alter paululum dicendum, cum enim ille in varias formas se componere soleat, maximè in disputationibus vel contradictionibus, ideo eas non-nihil specialius persequi nihil vetat.

§. XVIII. Id vulgò rectè obseruant, Syllogismum falsum seu Sophisticum esse triplicem, vel enim peccatur in *forma*, vel in *materia*, vel in *utraque*, vid. Thomas. c. 54. Ultman. *Part. prop. l. 3. c. 1.*

§. XIX. Sed isto ordine, qui sane optimus est & maximè naturalis, fallacias non recensent, quin potius, cum piaculum ducant, ab Aristotelis doctrina vel latum unguem discedere,

dere, cum Magistro suo, eas distinguunt, quod vel *intra*, vel *extra distinctionem* reperiantur, atque juxta hujus distinctionis ductum illas deinde persequuntur.

**§. XXX.** Sed in limine impingit illa philosophia, nam ista duo nec possunt nec debent sibi opponi, cum enim per verba conceptus nostros proponamus, hinc manifestum est, quod omnis fallacia, quæ subest, tam in verbis, quam in conceptibus ocurrat.

**§. XXI.** Veritas hujus asserti ex inductione patet, si quis æquivocatione ludat, adeoque fallaciâ intra distinctionem, quam vocant, utatur, ille utique diversas quoque res affert, quæ fallaciam contineant, sicut vice versa, si quis, v. gr. rei cuidam tribuat, quod ex accidente saltem ab illa dependet, adeoque fallaciam extra distinctionem, stilo vulgari, committat,

ver-

verbis etiam fraudem vel errorem profert; Reliquorum eadem estratio.

**§. XXII.** Quare potius id discriminis fallacias intercedit, quod illæ, quæ *intra dictio-* *nem* esse perhibentur, si non omnes, certæ pleræque ita manifestæ sint, ut statim deprehendantur, imo se ipsas ultro velut prodant, cæteræ vero, quæ *extra dictio-* *nem* collocantur, speciem aliquam habeant, nec fucum ipsæ eloquuntur.

**§. XXIII.** Misso igitur lubrico discrimine Aristotelico, fallacias juxta partitionem §. 18. considerabimus. Est igitur Syllogismus aliquando fallax ob *formam*, quod ex iis, quæ *c. 9.* *10.* *11.* *12.* diximus, intelligi debet. Ex quibus etiam patet, multos Syllogismos nobis non esse vitiosos, qui vulgo tamen pro talibus habentur.

**§. XXIV.** Potissimum autem Syllogismi

M 2

logismi

logismi sunt fallaces ob *quatuor terminos*, quorsum pertinet fallacia *equivocationis, amphibolie & accentus*, vid. Supplem, ad Thomas. Log. c. 3. Ullman. d.l. c. 2. sed cum illæ fallaciæ seipsas prodant, hinc homines cordatos puerilia illa sectari non decet, nisi forte animi relaxandi gratia, nubari placeat.

XXV. Illud etiam observandum, multis fallaciis locum non esse futurum, si certa aliqua thesis, cui sit contradicendum, supponatur. Jam, postquam artis esse existimatur, inanes fundere posse Syllogismos, Sophistæ quoque in concinnandis sophismatibus ingenium ostendere solent. Interim operæ pretium, non est, in resolvendis ejusmodi quisquiliis, ex trivio hauftis, tempus terere.

S. XXVI. Ob *materiam*, Syllogismi varia ratione, vitium contrahere posse

posse videntur. • Summatim forte ita dici potest: Vel (1) à thesi impugnanda aberrant, vel (2) id de quo quæritur, supponunt, vel (3) simpli- citer, vel denique, (4) certo respectu falsi sint.

§. XXVII. Ad primam classem pertinet (1) *ignoratio elenchi seu ejus de quo quæritur*, qua laborasse sæpe Aristotelem, Autor *art. cogit. p. 3. c. 17. n. 1.* ostendit (2) *callida statu's controverſia mutatio*, hæc fallacia inter literatos est frequentissima, eoque fine adhibetur, ut vel angustias, ad quas mala causa nos rededit, evada- mus, vel adversarium, cuius senten- tiæ aliæ eramus impares, hoc strata- gemate eludamus.

§. XXVIII. Potest etiam hoc refer- ri, (3) *fallacia plurium questionum*, veteribus Sophistis præcipuè usitata, nam & illa eò collimat, ut hoc artifi- cio thesin aliquam adversario im-

pingamus, quam ille admissam deinceps nolit, & juxta quam ei illudere postea liceat. De cætero hæ fallaciæ ita differunt, quod prior ex imprudentia, duæ posteriores ex malitia plerumque oriuntur.

§.XXIX. Alterum fallaciarum genus nomine *Circuli*, vel *petitionis principii* venire solet. Solet autem id de quo quæritur, vel aperte supponi, vel oblique, dum obscurum per æque obscurum, vel incertum per æque incertum demonstratur.

§.XXX. Obrepit autem nobis ille error, vel ex *nimio amore*, quo nostra prosequi solemus, nam sæpe ea, quæ defendere non possumus, tamen supponimus, vel ex *infirmitate*, dum illa, quæ explicare nequimus, explicasse videri volumus ac eo fine, suppositione ejus de quo quæritur, aperita vel aliqua defungimur. De cætero Aristotelem hujus fallaciæ reum

reum denuo facit, Autor *art. cogit. d.l.n.2.*

§. XXXI. Improbandus vero est Circulus in veritatibus demonstrabilibus, nam hæ vel ritè demonstrandæ sunt, vel ignorantia ingenuè agnoscenda. Circa Indemonstrabiles vero, quæ singulari perceptione intelliguntur, circulum facere licet, v.gr. *totum est majus sua parte, quia est majus.* Nihilominus tamen & hic satius est, indemonstrabilitatem palam asserere, quam ista elocutione ineptitudinis incurrere suspicionem.

§. XXXII. Ad tertium & quartum fallaciarum genus (liceat enim hæc duo conjunctim declarare) cæteræ omnes referri possunt. Pertinet adeo huc (I) *fallacia figuræ dictionis*, quam vocant, quando similitudine vocis vel materiali vel formalis fucus fit.

§.XXXIII. Si v.gr. contendas, quia Cato in genitivo habet Catonis, ergo etiam Caro Caronis, nam hoc simpliciter falsum, quæ etiam fallacia satis puerilis & inepta censeri debet, vel si dicas, *quicquid emisti, comedisti, Carnem crudam emisti, Ergo carnem crudam comedisti*, aut, *homo est species, Socrates est homo, Ergo Socrates est species*, vid. Supplm. Log. Thomas. c.3. §.6. seqq. nam in primo major, in secundo minor, ex parte falsa est.

§.XXXIV. Deinde huc trahi potest (2) *fallacia consequentis*, quando ex aliquo antecedente infertur consequens, quod ex eo non sequitur, v. gr. *bos est animal, E. est homo, vid. d. Supplm. c.3. §.71.* nam & hoc simpliciter falsum, quare cum nullum habeat & hæc fallacia colorem, ideo vix seorsim nominari meretur.

§.XXXV. Amplius huc spectat,

(3)

(3) *Fallacia Compositionis & Divisio-*  
*nis*, quando id quod in sensu diviso  
verum, in composito fallendi causa  
asseritur, vel vice versa, *vid. d. Sup-*  
*plem. c.3. §.29. seqq. Autor art. cogit. d.*  
*c.17. n.5.* nam hic quoque id, quod  
profertur, certo respectu falsum est.

§. XXXVI. De cætero denomina-  
tio hujus fallaciæ, non satis liquida  
videtur, hinc etiam quæ de *sensu*  
*composito & diviso*, amovendæ falla-  
ciæ dici solent, subinde ambigua-  
sunt, ut facilius fallacia retundi pos-  
se videatur, si verbis popularibus u-  
tamur quam si sententiam nostram  
istis terminis technicis involvamus.

§. XXXVII. Si quis ita arguat,  
*Unum, duo & tria sunt sex,*  
*tria ista ova sunt unum, duo & tria,*  
*E. tria ista ova, sunt ova sex,*  
tum facilius fallaciam eludes, si ita  
majorem limites, *Unum, duo & tria*  
(præter illa unum & duo supponen-  
M 5 da)

da) sunt sex, ac postea neges minorēm, quam si multa de *sensu dīvisō & composito* dicas, quæ quam ambigua sint, ex Supplem. Thomas. d.c.3. §.30.35. satis patet.

§.XXXVIII. In hunc censum referenda, (4) *fallacia accidentis*, quando rei alicui adscribitur, quod ejus occasione, ex aliis causis dependet, ut si religioni tribuatur, quod ejus intuitu homines maleferiati committere solent, vid. Supplem. Thomas. d.c.3. §.61. Autor. art. cogit. d.c. 27. n. 4.

§. XXXIX. Ulterius, (5) *fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, seu ubi à particulari ad universale, aut ex vitiosa inductione, universalis conclusio infertur, nam hæc vel coincidunt, vel minimum magnam habent convenientiam, vid. Autor art. cog. d.l. n.6.8.

§.XL. Similēm fallaciām nonnul-

li

li committi putant, si à dicto simpli-  
citer, ad dictum secundum quid infe-  
ratur, v. gr. *arma sunt reddenda do-*  
*mino postulanti*. Ergo etiam domino  
furioso, vid. Suppl. Thomas. d.c. 3.  
n. 66. 67. Verum adhuc à particula-  
ri infertur, nam primam propositio-  
nem non esse simpliciter & sine limi-  
tatione veram, ex regulis socialita-  
tis facile patet.

§.XLI. Denique huc retuleris (6)  
*fallaciam non causæ ut causæ*, quan-  
do thesi per se veræ falsa adjicitur  
causa, v. gr. *res sacræ non sunt aliena-*  
*nandæ*, quia *in nullius sunt dominio*,  
hæc inter homines est frequentissi-  
ma ob magnam eorum ignorantiam  
vel inolita præjudicia, add. Autor art.  
cog. d.l. n. 3.

§.XLII. Hæ sunt ferè fallaciæ fa-  
mosiores propriisque nominibus  
insignitæ, de similibus, si quæ occur-  
rant, facile quoque judicari poterit.

M 6

Quem-

Quemadmodum etiam ex hactenus dictis constabit, quando Syllogismus tam ratione *formæ* quam *materiæ* sit falsus, *vid. §. 18.* ut de hoc quidem nihil amplius dicendum sit.

§. XLIII. Quomodo autem Syllogismis falsis sit occurrentum, breviter quoque indicari debet. Nimirum si in *forma* ille peccet, vitium hoc ante omnia indicandum, de quo tamen, si cum cordatis res sit, non valde laborandum erit, cum homines, solidâ doctrinâ vacui, fallaciis illis saltem uti soleant.

§. XLIV. Si autem, quoad *materiam*, à thesi impugnanda aberret Syllogismus, tum vel imprudentia, quâ illam se non capere ostendit Adversarius, vel calliditas, qua statum controversiæ mutat, ostendenda, ipseque ad justam contradictionem adigendus est.

XLV. Si vero supponat id, de quo  
qua-

quæritur, vel incertum per æque incertum probet, tum & hujus instituti ineptitudo ostendi, ac contradic̄tio genuina postulari debet.

§. XLVI. Denique si Syllogismus sit simpliciter falsus, tum sola negatio sufficit, licet, ostendendæ ejus imbecillitati, instantias nonnullas addere, non insubidum sit, imo si nimis aperta sit falsitas, inversio argumenti recte adhibebitur.

§. XLVII. Quod si tandem certo respectu, à veritate abeant argumenta, tum opus est distinctione & limitatione, quæ quidem diversa ratione applicari potest.

§. XLVIII. Si enim utrumque distinctionis membrum applies, tum evadunt quatuor termini, si vero alterum, & quidem illud, cuius intuitu, objectio tibi vera videatur, tum conceditur totum argumentum, si autem id, secundum quod objectio-

nem falsam putas, tum altera præmissarum negari debet. vid. infr. c. 16. §. 64. seqq. add. Thomas. Log. c. 55. §. 32. seqq.

## CAPUT XIV.

DE

COGITATIONUM  
HUMANARUM ORDI-  
NE S. METHODO.

## §. I.

**Q**uæ hucusque à cap. 5. differui-  
mus, illa omnia ad *varietatem*  
cogitationum explicandam perti-  
nent, nunc ex monito c. i. §. fin. earum  
*ordo etiam expendi* debet.

§. II. in universum autem duo re-  
spectus hīc distinguendi sunt, vel e-  
nim *soli agimus*, vel *amica contradic-  
tione cum aliis super veritate litiga-  
mus*, hinc duplex ordo existit, quo-  
rum prior, *Methodus*, posterior, *Pro-  
cessus disputandi*, dici solet.

§. III.

§. III. De utroque ab aliis quidem jam actum est, sed non ex nostra plane sententia, hinc quid mihi videatur, breviter nunc addere liceat. Methodus est rerum cognitarum, juxta naturalem earum connexionem, promovendae aliorum cognitionis gratia, facta representatio.

§. IV. Ab objecto recte vulgo distinguitur in universalem, qua integra aliqua disciplina, & Particularēm, qua aliqua disciplinæ pars, vel cettum aliquod thema exhibetur.

§. V. Omnis autem methodus ex objecto suo oriri, adeoque hoc, posterior esse debet, nam sicut conceptus ex rei consideratione existunt, ita illorum ordo ex hujus quoque connexione oriri debet, quod si autem citra objecti considerationem, methodum aliquam fingas, eique deinceps objectum & hinc ortas meditationes attemperes, non potest non

non talis ordo in quandam rei tractandæ torturam degenerare, ceu jam admonui *in Præfat. Specim. jur. publ.*

§. VI. Summa igitur methodi lex est, *objectum tractandum diligenter expendere*, & quo accuratius quis illud cognoverit, eo concinniori ordine id quoque repræsentabit, sicut è contrario omnis confusionis ac *ἀπεριστάτως* causa est ignorantia objecti.

§. VII. Ex his sequitur, rerum incognitarum nullam esse methodum, nam sicut illarum nulos habemus conceptus, ita horum, cum non sint, nulla potest esse connexio. Quod si igitur res incognitas meditemur, sine methodo hoc facimus & prout fortuna tulerit, nunc huic nunc illi rei objectæ meditationes impendimus, donec confusam aliquam notitiam acquiramus, quam curis secundis

dis magis magisque expolire, ac in ordinem digerere deinceps liceat.

§. VIII. Quæ igitur de methodo dicuntur, non pertinent ad meditationes solitarias rerum ignotarum, sed ad doctrinas, quas vel in usum proprium consignamus, vel aliis ore aut scriptis communicamus.

§. IX. Qui iter ignotum instituit, is compendiose & ordinate incedere non potest, sed errabundus potius incerta per vias incognitas ponit vestigia, donec gressibus errantibus saepe relectis, totoque itinere aliquoties confecto, viarum compendia intelligat, eademque alios docere possit.

§. X. Porro ex dictis sequitur, imperito non posse methodum præscribi, minus tamen exercitato peritior ex sua, quam de objecto tractando habet, cognitione, summa capita delineare, atque ita ulterius

co-

cogitandi ansam suppeditare potest.

§. XI. Sed ut paulo specialius de Methodo agamus, bonum ordinem tribus constare requisitis arbitramur, Scilicet ut (1) contineat necessaria, (2) naturali ordine, ac (3) sit perceptu facilis.

§. XII. Primo necessaria continere debet, i. e. ea de quibus agere quis sibi proposuerat, vel etiam vi objecti debebat, nam legem, quam quis sibi ipsi dixerat, merito servare debet, quæ autem objecti conditio necessariò postulat, ea mutare plane non licet.

§. XIII. Vi hujus requisiti *communia* omitti debent, in primis si sint nimis trita, & multoties jam explicata. Sic nimis incongruum est, quando definitio nominalis, etiam quoad tritissima & passim obvia vocabula, aliquot absunit paginas.

§. XIV. Quæ res in primis etiam  
Juris-

Jurisprudentiam invasit, ut crederem aliquot millia disputationum juridicarum repertum iri, quæ præter necessitatem his verbis : *potior quidem rerum, prior tamen verborum cura est*, inchoatæ, per etymologiam, homonymiam & Synonymiam notissimorum vocabulorum, *juris, rei similiūmque*, prolixè deinceps volutentur.

§.XV. Multo magis *aliena abesse*, debent, hinc valde improbandum est, quando, e.gr. Scriptores juris publici, isti disciplinæ, placita juris privati, artis heraldicæ & Studii Genealogici plus justo miscent, de quo in *Præfatione Specim. jur. publ.* plura dixi.

§.XVI. Sicut autem aliena omitti, ita vice versa necessaria adduci debent, nam æquale vitium est, si methodus excedat vel deficiat, hoc nomine vulgaris disciplinarum moraliūm

lium ordo merito reprehenditur, nam ille omnia, quæ ad laudatas disciplinas pertinent, non sistit, de quo *cap. seq.* aliqua dicam.

§. XVII. Quo igitur primo illi requisito satisfiat, in elaboratione præcipue thematum specialium, scopus eorum proprius est attendendus, ac inde materiæ tractandæ necessitas definienda, quod unico exemplo illustrabimus.

§. XVIII. Prostat disputatio de *Rhedis meritoriis*, in cuius thematis elaboratione, uti nonnulla sunt, quæ ad Scopum proprium pertinent adeoque recte allata fuerunt, ita pleraque sunt generalia ac cuivis themati alii facile applicanda.

§. XIX. Sic quando de personis, Rhedas meritorias exercentibus, dissertatio instituitur, generalissima de personis, contrahere impeditis aut prohibitis, chartam implent, in primis

primis vero jus, quod circa vehicula  
meritoria competit, incongrue ex  
iis, quæ de jure in re, & ad rem in  
Institutis Justinianeis traduntur, de-  
claratur.

§. XX. Primo igitur dominium  
Rhedarum meritoriarum asseritur,  
quod modis naturalibus, occupatio-  
ne, puta, accessione, specificatione,  
& traditione acquiratur, qua occasi-  
one tritissima de illis modis comme-  
morantur.

§. XXI. Inde pergit Autor ad ser-  
vitutes reales & personales, easque  
ad vehicula meritoria applicat, hinc  
progreditur ad modos, quos vocant,  
civiles, docetque quomodo memo-  
rata vehicula donatione, usucapio-  
ne, successione testamentaria & le-  
gitima nec non legato acquirantur.

§. XXII. Postea Jus ad rem Rhedis  
meritoriis applicatur, ubi iterum tri-  
tissimæ divisiones contractuum &  
de-

delictorum recensentur, ac plerique obtorto velut collo ad thema propositum trahuntur.

§.XXII. Esse autem istam tractandi rationem absurdam, facile quivis, qui modo paululum attendere velit, intelligit, nam sunt generalia illa, sexcentis aliis thematibus communia, hinc si quis, v. gr. de ædificio, horto, equis, suibus & nescio de qua re, differere velit, illa omnia, levi saltem mutatione hinc inde adhibita, sua facere posset, ejusdem tamen absurditatis, qua memorata tractatio laborat, reus ille fieret.

§.XXIV. Rectius ejus generis thema repræsentari potest, si ad scopum proprium attendas, nimirum aurigæ vel rhedarum meritoriarum exercitores *itinera respiciant*, hinc aptè decurret tractatio, si præmissis nonnullis, de aurigarum nomine, varietate, indole, Societate ac statu, quem

quem in vita civili habent, eos deinceps ante iter, in *itinere* & *post iter* consideres.

§.XXV. Primo respectu explicandi sunt contractus, qui intuitu perfectionis vel rerum transvehendarum cum aurigis iniri solent, ubi etiam de rebus transportari prohibitis agendum est,

§.XXVI. In itinere si sint constituti aurigæ, generale ipsorum officium est, iter rite confidere, ac ea, quæ alias hominibus incumbunt, facere. Specialius igitur explicari potest, quid ipsis faciendum sit erga alios, quibus in via angusta vel loco minus commodo occurrunt, aut num orto incendio eo loco, in quem diverterunt, operas auxiliatrices præstare debeant.

§.XXVII. In primis autem à læsione abstinere debent, hinc disquiri potest, quid aurigas facere oporteat,  
si via-

si viatores vel eorum res lœdant cunctando, imperitia, negligentia vel malitia iis damnum inferendo, cum cauponibus in præjudicium Viatorum, vel quod gravius est, ~~cum~~ furi-  
bus & latronibus colludendo, aut furta immediatè committendo.

§.XXVIII. Non minus etiam erga alios injurii esse possunt aurigæ, scil. erga rem publicam, dum vectigal haut exsolvunt in eos, per quorum agros, declinandæ molestioris viæ causa, transeunt; in Deum, dum blasphemis equos ad opus faciendum incitare solent, quid itaque his casibus iis faciendum sit, amplius exponi potest.

§.XXIX. Itinere ad finem perduto, præstationes tam ab aurigis faciendæ, quam ipsis exhibendæ facile quoque intelligi possunt. Ex omni autem tractatione constabit, quibus actionibus in foro uti queant au-  
rigæ,

rigæ, & quibus remediis ipsi in ordinem redigendi ac ad officium faciendum compellendi sint. Prout Non nemini, qui *de eo quod justum est circa aurigas*, Erfordiæ 1699. pro Licentia disputavit, istam methodum suppeditavi, ex qua tractatione nihil alias mihi vindico.

§. XXX. Alterum bonæ methodi requisitum est, ut res naturali ordine exhibeat, vid. §. II. hoc autem omne ex accurata rei cognitione fluit, hinc nihil aliud hic præcipi potest, quam ut quis objectum tractandum sedulo, diligenter ac attente consideret.

§. XXXI. Posset quis existimare, bonam ergo methodum necessariò esse unam, vel uniformem. Sed non opus est ut eò deveniamus, nam ex eo, quod res naturali ordine exhibendæ sint, uniformitas illa non sequitur, cum sæpius ita res comparatae sint, ut sive hoc, sive alio modo eas

N

repræ-

repræsentes , attamen illæ semper nativo habitu exhibitæ censeri queant,

§. XXXII. Si quis conclave picturis exornare velit , is non valde peccabit, si aliquam picturam, dextrum, vel sinistrum latus occupare jubeat, hinc nec lapsus in ordine erit, si v.gr. in explicando contractu, prius agas de materia , quam de consensu aut personis, vel vice versa.

§. XXXIII. In primis vero libertate majori gaudent, qui materiam tractandam proprio arbitrio colligunt, mensuramque faciendæ tractationis sibi ipsis constituunt, ut Rhetores & Concionatores, hinc Concionem, in eundem textum habendam , vel centies ab artificibus variari posse, notum est.

§. XXXIV. Interim in materia necessaria , saepe una methodus altera magis est naturalis, hinc in serie, quæ fatis

satis accurata primâ vice videbatur,  
cogitationes posteriores s̄aþe multa  
emendanda reperiunt, quemadmo-  
dum rei pictoriæ gnari, errores in-  
collocandis picturis commissos, le-  
viores aliisque non observatos in-  
telligunt.

§.XXXV. Denique bona metho-  
dus, *perceptu facilis esse debet*, quo  
nomine hoc requirimus, ut sine tæ-  
dio, juxta eam evolvi ac allegari  
queat. . Nimis igitur incongruum  
est, quando Scriptores quidam, par-  
tibus, sectionibus, capitibus, punctis,  
articulis, paragraphis & numeris a-  
bundant, quæ summam in evol-  
vendo & allegando pariunt mole-  
stiam.

§.XXXVI. Id verò haut exigimus,  
ut quævis methodi pars peculiari o-  
ratione indicetur, quin ineptissimos  
arbitramur illos flosculos : *Visa cau-  
sa efficiente, progredimur ad formam:*

considerationem subjecti excipit obiectum, & similes. Idem omnino dicendum de Syllogismis, quibus non nulli in Scriptis abundant, nam & hos flosculis pedanteriae recte accenset Dn. Thomas. *Introd. ad Physiculic. c. 12. §. 18.*

§. XXXVII. Horum omnium prima causa, est ignorantia, dum enim pauperibus ejusmodi scribillatoribus aqua ubique hæret, chartam, quam rebus serijs implere non possunt, sordib⁹ illis conspurcare, quam vacuam relinquere malunt, interim ejusmodi ineptiæ auribus solidiori doctrinæ adsuetis valde graves sunt.

§. XXXVIII. Multo minus ad methodi evidentiam requiritur, ut omnia asserta stilo metaphysico involvamus, ac nihil nisi causam efficiens, formalem, subjectum activum & passivum crepemus, prout scabiem illam pseudophilosophicam Juris-

risprudentiæ quoque affricare, multis solenne est, arguunt potius illa non levem imprudentiam, ac insigne inertiendi pruritum, multò ornatus utique fluit oratio, sine strigilagine illa Scholastica.

§. XXXIX. Juxta hæc *integras Disciplinas & omnis generis themata particularia* elaboranda esse putamus, quod nonnullis exemplis, à me alibi exultis, illustrasse, forte non incongruum fuerit.

§. XL. Quibus limitibus *fus publicum Romano-germanicum* circumscribendum, quoque ordine tradendum sit, in *specimine Jurispublici Romano-germanici*, reipsa ostendi, hic methodum breviter delineatam, in exempli vicem producam.

§. XLI. Nimirum dubioprocul Jurisprudentia publica circa *leges publicas* occupatur, harum autem in universum duplex est consideratio,

vel enim earum *indoles* vel *tenor* sive *argumentum* consideratur.

§. XLII. Hoc posito per modum tractationis præliminaris, *indoles* *Jurisprudentiæ* ipsius, & *legum publicarum*, tam in genere, quam in specie explicatur, cui tamen tractationi si quis brevem historiam de origine variaque mutatione imperii Germanici præmittere velit, is haut errabit, licet hactenus in memorato Specimine illud non observaverim.

§. XLIII. Postea sequitur tractatio principalis, quæ tenorem *legum* persequitur, hic autem oninino juxta conditionem objecti, seu Reipublicæ Germanicæ exhiberi debet, cum vero hæc sit complexus plurium civitatum, nexus socialiter cohærentium, ideo tractatio isti statui meritò attemperatur.

§. XLIV. Præmissis itaque generali-

ralibus de origine, denominatione & finibus Reipublicæ Germanicæ, deinde Status imperii cum suis Territoriis & juribus, juxta objecta sua rite distributis, ita exhibendi sunt, ut inde liqueat, Territoria eorum esse fere libera, ac peculiares efficere civitates.

§.XLV. Postea Cæsar, velut Caput totius corporis Systematici, cum his juribus adducendus est, eidemque Rex Romanorum, nec non Vicarii Imperatores fungendi.

§.XLVI. Quibus peractis, unio totius corporis socialis explicanda, in quem locum circulorum, Comitiorum & Judiciorum germanicorum expositio, quoque referri debet,

§.XLVII. Postquam habitus Reipublicæ germanicæ ex legibus fundamentalibus delineatus est, deinde juxta regulas politicas seu Juris prudentiæ Universalis, de Forma E-

ius , nec non indole superioritatis Territorialis, ac conditione Statuum imperii civili, disquiri potest, quibus omnibus per modum appendicis, *dissertatio de Ratione status germanici*, recte additur.

**§. XLVIII.** Circa Jurisprudentiam Feudalem, apte digerendam, minor subest difficultas, ac in plerisque, re-  
etè satis illa disposita est ab iis , qui in ius feudale commentati sunt.  
Quid mihi hic videatur, in *Jure feu-  
dali, germanice hanc ita pridem con-  
scriptio, ostendi.*

**§. XLIX.** Præmissa feudorum & consequenter legum ac Jurispruden-  
tiæ feudalis origine , natura Artis,  
primo utique explicanda videtur,  
postea ad considerationem legum  
feudalium deveniendum.

**§. L.** Circa has *natura & varietas*,  
tractatione adhuc præliminari, tra-  
ditur , deinde ad *tenorem explican-  
dum*

dum proceditur. In genere autem leges feudales vel *jura varia* introducunt, vel modum illa obtinendi, i.e. processum definiunt, hinc partis principalis duo sunt capita generalia.

§. LI. In primo capite generali, explicata feudi indole & varietate, agitur de personis feuda dantibus & acquirentibus, offerentibus & acceptantibus, amplius, de juribus ac rebus, quæ in feudum dantur, quam tractationem excipit feudi constitutio.

§. LII. Hæc fit vel in re *allodiali*, idque tam intuitu Vasalli, quam aliorum, tam consensu, quam lege, hinc de constitutione in specie, de simultanea investitura & præscriptione agitur, vel *feudali*, quo pertinet concessio expectantiae feudalium.

§. LIII. Inde disquisitio instituitur de jure Domini directi & Vasalli circa feudum, quam tractatio de ali-

enatione feudi , alienati revocatione, debitibus feudalibus, pignore feudali tacito, prærogativa debitorum, feudalium, non male sequitur.

§. LIV. Iis explicatis , successio feudalis legitima & testamentaria, nec non tutela feudalis intelligi potest. Tum succedit feudi renovatio & amissio , quæ omnia alterum caput generale, de actionibus , judicio & processu feudalibus, velut ob-signat.

§. LV. De Jurisprudentia Ecclesiastica, in usum Protestantium apte concinnanda, res non adeò liquida videtur , vel enim Scriptores plane silent , vel hypotheses non ferendas fovent, ut neque ordo, neque elaboratio ubique satis sana sint. Quid mihi placeat, nuperrime in Specimine Juris Ecclesiastici, germanicè conscripto docui, ex quo methodus in exempli vicem h̄ic delineanda est.

§. LVI.

§. LVI. Primo loco *natura Juris-prudentiae, legumque Ecclesiastica-rum, in Germania usitatarum, expo-nitur.* *Argumentum vero earum,* ad *Ecclesiam visibilem pertinet, ea-* quidem ratione, ut duo generalia capita hic quoque constituantur, quorum prius, *jus legibus ecclesiasti-cis constitutum, posterius modum jura obtinendi, seu processum exhibeat.*

§. LVII. Primum Caput valde amplum est , in eo que ritè digerendo præcipua occurrit difficultas. Mihi sic placuit : Primo indeoles Ecclesiæ in genere delineanda , ejusdemque fulcra simul addenda fuerunt , hinc de regimine Ecclesiastico, de Conci-liis, Consistoriis & Jure Patronatus actum est.

§. LVIII. Postea Constitutio Ec-clesiæ visibilis explicari debet , in quem locum pertinet tractatio de-

templis aliisque rebus Ecclesiasticis, de Parochianis, subselliis templorum, constitutione, juribus & obligationibus Ministrorum Ecclesiae, de Superintendente, aliisque hujus generis materiis.

**§. LIX.** Ecclesiæ constitutæ Operatio deinde sequitur, hinc de Liturgia in genere, de baptismo, sacra Cœna, confessione auriculari, de delictis religionem concernentibus, de disciplina Ecclesiastica, Excommunicatione & Pœnitentia publica, nec non reparatione Templorum & Visitatione ecclesiastica, instituta fuit disquisitio.

**§. LX.** Quia vero cum cultu divino aliquam connexionem vulgo habere censentur negotia in se alias mere politica, nuptiaz scil. educatio Juventutis, cura pauperum & sepultura mortuorum, ideo & horum explicatio fuit suscepta.

**§. LXI.**

§. LXI. Atque ita Ecclesia, ut Societas religiosa considerata fuit. Dum autem ita religionis causa consociatur, simul habitum politicum induit, ac ad exemplum aliorum collegiorum, velut persona aliqua moralis composita, in Republica occurrat, hæc itaque facies Ecclesiæ politica deinceps quoque repræsentari debuit.

§. LXII. His ad finem perductis, sequitur alterum Caput generale, Processum continens, in quo adeo consistorialis processus in genere, nec non præcipuae ejus species, ut matrimonialis & desertionis, explicantur.

§. LXIII. Eodem ferè modo Juris prudentia *Civilitas*, vel in genere *Private*, quatenus ex civili, feudali & Ecclesiastica componitur, disponi posset, sed cum methodum illam, nondum recipsa præstiterim, inanem ejus

ejus delineationem hic moliri, jam non libet.

**§. LXIV.** In exemplum disciplinæ methodice exultæ, hæc ipsa, quæ sub manibus est, Ars cogitandi etiam produci potest, nam quid ad eam non pertineat, nec non quomodo materia propria ordinatè propo-nenda sit, id ex objecto diligenter considerato, intelligitur, ceu *cap. I.* ostensum.

**§. LXV.** Eadem est ratio thematum particularium, quorum ordo unicè ex Objecto quoque oriri debet. Anno 1691. habita est sub meo, quod vocant, Præsidio, Disputatio de *Putativo contractu literali*, quam sit disponere visum est.

**§. LXVI.** Adducto casu, quo chirographum datur, duplex quæstio inde formata, (1) quale negotium datione chirographi sit celebratum, (2) quid circa illud justum.

**§. LXVII.**

§. LXVII. In primo capite rationes vulgaris sententiae, peculiarem contractum literalem afferentis, sunt relatæ & refutatæ, ac ulterius ostensum, quod datio chirographi unice ad probationem pertineat.

§. LXVIII. In secundo capite, exceptio non numeratae pecuniae, contra confessionem in chirographo factam, ex æquitate naturali admissa quidem est, sed sub conditione probandi, quod igitur excipiens intra biennium à probationis onere sit immunis, illud ex lege civili est, cuius moralitatem, sensum & usum amplius excussimus, subjuncta, de habitu illius dispositionis civilis, epicrisi.

§. LXIX. Disputatio de *Jure metallorum*, sub meo præsidio 1695 habita, hoc Ordine decurrit. Præmissis iis, quæ ad naturam metallorum pertinent, deinde circa *utile & justum*

*justum* occupatur tractatio.

§. LXX. Prior præliminaris est ac paucis absolvitur , posterior vero principalis. In ea disquiritur primo de dominio metallorum originario, quod Civitatibus, tam in thesi, quam in hypothesi afferitur.

§.LXXI. Hoc posito , civitas sæpe dominium metallorum , sub condicione effodiendi,in subditos devenire patitur, ut tamen tam ex pristino dominio aliquid sibi retineat,quam imperio omnem rem metallariam dirigat.

§.LXXII. Juxta hunc ergo rei metallicæ statum de his, fere agendum est,nempe de Officialibus, operariis metallicis,juribus eorum, qui fodinas colunt, obligatione reliquorum subditorum , processu metallico, obligatione Imperantis, ac tandem de iis qua rem metallicam destruant.

§. LXXIII.

§. LXXIII. Eodem anno, ex Jurisprudentia universalis, in Cathedra Juridica, sub meo moderamine, habita est disputatio de *Officio Sermocinantium*, in qua primo sermonis natura, deinde moralitas fuit explicata.

§. LXXIV. In prima parte de signis eorumque varietate ac speciatim de sermone fuit actum, cuius natura, vis significandi, origo, progressus, affectiones, contratia, affinia & utilitas sunt exposita. In secunda parte moralitas juxta universam legem naturalem fuit ostensa.

§. LXXV. Plura addere opus non videtur, cum ex his intentio nostra satis intelligatur, quodsi allata exempla ob singularitatem suam (cum omnia ex disciplina Iuris deponita sint) alicui non placeant, is sicco pede eadem præterire poterit.

§. LXXVI. De cætero bani ordinis

ne-

*necessitas, non alio argumento probatur, quam quo veritatis inquisitio, necessaria esse ostenditur, ordinem enim exigere, nihil aliud est, quam accuratam rei requirere notitiam, nam ex hac omnis ordo profluit.*

§.LXXVII. Eorum igitur sententiam morari haut par est, qui omnem, quæ bono ordini impenditur, curam, inanem fortassis sunt existimaturi, quasi sufficiat, res ipsas cognovisse, nihil autem intersit, quo ordine, aut in qua disciplina illas cognoscas.

§.LXXVIII. Est enim objectio hominum confuse doctorum, cui certe nihil tribuendum, nam qui rem sine ordine concipit, is eam non recte concipit, cum utique habitudo illa, qua res rei connectitur, sit ejus pars, si quis caput hominis, velut partem pedibus cohærentem conciperet, ejus conceptus minimum ali-

aliquo respectu, à vero aberaret, imò totum objectum præpostere exhiberet.

§. LXXIX. Finge hominem omnibus iis, quæ ad ornatum & elegantiā opinio humana pertinere existimat, exquisite instructum, sed ordinata eorum applicatione destitutum, quæ caput ornare debebant, circa pedes volitant, calcei in capite superbiunt, tibalia humeros amiciunt, & quicquid thoraci destinatum erat, partem corporis inferiorem circumdat, nemo certe vel vestimenta in illo statu spectata elegantia dixerit, vel hominem ipsum eleganter vestitum existimaverit.

§. LXXX. Eadem est ratio rerum confuse conceptarum, nam confusio non tantum veram singularum rerum naturam abscondit, sed & totum conceptuum contextum reddit ineptum, ut satis certum videatur, erro-

errorem in ordine commissum, non simplicem esse, sed ipsas etiam res afficere, quæ licet jam admonuerimus in *Prefat.* Specimin. *Jur. Publ.* eam tamen ad disciplinam propriam retulisse, forte non inopportunum est.

## CAPUT XV.

DE

# INEPTIIS METHO- DICIS.

### §. I.

**Q**uid circa methodum mihi ineptum videatur, id ex tractatione præcedenti potest intelligi, in quo plerosque consensuros putemus. Hic vero ineptiarum nomine comprehendo, quæ à multis, fundamenta omnis ordinatæ ratiocinationis, si Diis placet, ferè esse creduntur.

**§. II.** In hunc censum pertinet distinction

*stinctio methodi & ordinis*, ista enim minutiarum consecratio nullam prorsus habet utilitatem, sed vitili- giis saltē occasionem præbet ut facile liqueat, esse eam inventum hominum ineptorum, qui, cum solidā doctrinā destituantur, in næniis ejusmodi vel inveniendis vel enuclean- dis tempus & otium consumunt.

§. III. Non minus expendendum rerum gnaris relinquo, annon huc referenda vulgaris regula, quod à notis, ad ignota sit procedendum. Nam in ignotis nullam esse metho- dum, pecinde sicut in via incogni- tâ nullum certum incessum, cap. præc. §. 7. 8. 9. satis ostensum.

§. VI. Imo si in incognitis metho- dum admitteres, quid quæso tibi monitum, quod vel rusticus daret, ut à notis ad ignota procedas, prodes- set? An unquam quis ab incognitis ad nota est progressus? aut num- viam

viam incognitam intelligis, si quis te  
sciscitantem, semper à notis ad igno-  
ta pergere jubeat? quocunque igi-  
tur te vertas, semper hoc monitum  
otiosum, sterile ac ridiculum depre-  
hendes.

§. V. Ejusdem forte census depre-  
hendentur, *notiora natura, & noti-  
ora nobis*, ac reliqua omnia, quæ  
istam distinctionem sequuntur, id  
quod operose probandum non  
est, cum doctrinæ illius Patroni bo-  
nis rationibus ejus utilitatem osten-  
dere nequeant.

§. VI. Parum abest, quin multa  
quæ de μεταβάσει της ἀλλο γε. @ vul-  
gò differunt, ad hanc classem etiam  
referamus, nam licet utique certum  
sit, in quavis disciplina vel themate  
particulari elaborando, nihil nisi  
materiam propriam tractandam es-  
se, attamen ut id observetur, vulga-  
ribus

ribus illis tric s haut quicquam opus est.

§. VII. Nam cui bono tot ambagibus inculcatur, *μεταβασι* committi vel ratione subjecti, vel pr dicationi, vel medi  termini, aut pr dicationi & medi  termini tantum? nam qui objectum tractandum intelligit, is facile quoque judicabit, qu  ad illud pertineant nec ne, ut ista quidem sollicitudine, rem magis involvente quam explicante, haut sit opus. Sed de hoc non valde contendam.

§. VIII. Dubio procul autem ad ineptias methodicas pertinet methodus *Synthetica* & *Analytica*. Nam prim  nomina cum re ipsa haut consentiunt, quia nulla compositio vel resolutio in iis occurrit, ex mente enim Aristotelis Analysis est regressus *  conclusionibus ad principia*, Synthesis ver  *  principiis ad*

*con-*

*conclusiones progressus, vid. Thomas.  
Philos. aulic. c. 10. §. 14.*

§. IX. Peripatetici verò, intuitu integrarum disciplinarum, utramque sic explicant, quod Synthetica sit, quando à principiis ad principia-  
ta, vel à cognitione generis ad noti-  
tiam specierum, Analytica vero, quā  
à subjecto ad finem & media proce-  
datur, vid. Weis. Log. p. 2. l. 2. c. 2.

§. X. In thematibus vero particu-  
laribus Synthesin adesse putant, si à  
causis ad definitionem procedatur, si  
vero definitio primo loco compareat  
eamque cause excipient, tum Ana-  
lysin adstruunt, vid. Weis. d. l. 2. c. 4.

§. XI. Hic suavis utique nulloque  
fundamento subnixa est persuasio,  
quando in ista partitione analysin  
vel synthesin sibi immaginantur.  
A conclusionibus ad principia re-  
gredi, hoc non est resolvere, sed po-  
tius componere, aut saltem eodem  
jure

jure hoc dici potest, quo illud asseritur, sicut etiam si à principiis ad conclusiones progrediaris, magis resolutis, quam componis, vel minimum pari iterum jure utrumque dicere licet.

**§. XII.** Porro satis manifestum est, in methodo Peripateticorum, integris disciplinis applicata, nullam, vel levem, compositionis aut resolutionis speciem apparere, imo posse denominations sine ulla violentia inverti, minimum Autores illi prægnantes pro sua sententia rationes non facile afferent.

**§. XIII.** Denique circa themata particularia, nulla est denominatio-  
nis necessitas, si enim à causis ad definitionem procedas, posses quoque analysisi asserere, contendendo scilicet totum, quod supponitur, in suas causas resolvi, ac definitionem, per modum corallarii vel recapitulatio-

O nis

nis, subjici. Sicut vice versa si à definitione ad causas progrediaris, Synthesin eo modo exsculpere inde liceret, si dicamus præmissa generali delineatione, adduci partes, ex quibus totum componatur.

§. XIV. Sed ista leviora sunt! esto quod methodus Synthetica & Analytica nomen suum tueri queant, illa tamen gravis & nunquam condonanda incepsitudo est, qua sine consideratione materiæ, duplex methodus in abstracto effingitur, illicque quodvis objectum attemperari præcipitur.

§. XV. Si Sutor duas calceorum formas conficeraret, ac juxta eas quosvis calceos affabré se efficere posse arbitraretur, tum pròcul dubio quivis illum rideret. Sed isti pedantismo sutorio, planè similis est pedantismus Scholasticus, qui duplicitate methodo, omnes cogitationes at-

temperari jubet , quo minus igitur, perinde ut ille, rideatur, nihil plane obstat.

§. XVI. Maximum autem incommodum ex illo duplicitis methodi præjudicio oritur, dum à regia via cognitioni rerum deditos abducit, nam si quis præconcepita illa opinione laboret , is, thema aliquod elaboraturus, idolum methodi analytice & Syntheticæ, velut adorat, ab eoque ordinem rogat, sed irrito conatu, cum, si objectum tractandum diligenter & libera mente considerasset, eundem facilius certiusque invenisset.

§. XVII. Porro ubi ad applicacionem ventum est, vanitas præconceptæ methodi satis apparet. Recenset *Dn. Weisias in Log. p.2.l.2.c.4.s.6.* plura themata particularia, quæ si non omnia, certe pleraque, synthetice vel analyticè delineata credi-vult.

O 2                    §. XVIII.

§.XVIII. Nolim illa reprehendere, verum hoc contendo, ad delineationem illam nihil omnino contulisse præconceptam methodum analyticam & syntheticam, sed eam esse ortam ex consideracione objecti tractandi, quod autem hinc inde mentio duplicitis illius methodi injiciatur, ex eo non sequitur, eam esse necessariam, aut quid auxiliij hic præstisset, sed potius, hausti semel præjudicij magnam esse pertinaciam, ut verba idem otiosa extundat ac ubique eminere velit.

§.XIX. Ulterius contendunt, disciplinas theoreticas methodo synthetica, practicas analyticas esse trandendas, quod etiam exemplis illustrat Weismus d.l.2.c.2. Verum ea est præjudicialis quæstio, an disciplinas, prout juxta præconceptos illos ordinis representantur, recte se habent? de quo valde dubito.

§.XX,

§. XX. Laborant potius maximis defectibus, adducta verò fundamen- talibus scatent erroribus, ut non tam disciplinæ legitimæ, quam disciplinarum monstra vel abortus dici de- beant. Licet igitur disciplinæ, nævis variis deformes, methodo Syntheti- ca vel analytica tradi queant, inde tamen non sequitur, quod etiam ri- te instructæ vel instruendæ illo ordi- ne proponi possint.

§. XXI. Non dubito, quin solide docti fidem dictis adstruere queant per omnia disciplinarum, prout vul- go prædictâ dupli methodo re- præsentari solent, exempla, mihi sa- tis erit, exemplo disciplinarum mo- ralium, veritatem dictorum aliquo modo probasse.

§. XXII. Defectus vulgaris Ethicæ & Politicæ multi jam accusarunt, sed de iis ex professo nunc agere

nostrī non est instituti. In genere saltem dicimus, totam legem naturalem in iis esse omissam, cum nullib[us] ejus natura explicetur, multo minus argumentum adæquatè adducatur ac institutis humanis applicetur, cum tamen si naturaliter philosopheris, eadem sit unica virtutum vitorumque humanorum norma.

§. XXIII. Juxta hæc igitur palam, est, maximis defectibus illas disciplinas laborare, imò perinde ridiculas esse ac nuptias, in quibus nullus sponsus aut sponsa adest. Si calculum recte subducimus, solum aliquot capita doctrinæ moralis, vulgaris Ethica & Politica exhibet, ea que variis tricis repleta, de quo tamen nunc agere non attinet.

§. XXIV. Jam esto, quod methodus analytica Ethicæ & Politicæ vulgaris conveniat, id tamen ejus bonitati probandæ non sufficit. Si autem illæ

illæ juxta seriem legum divinarum  
debitè instruantur, tum angusta me-  
thodi illius mensura eas perinde non  
capiet, ac pigmæi vestes Giganti non  
conveniunt.

§. XXV. Id ineptitudinem me-  
thodi analyticæ speciatim quoque  
ostendere videtur, quod in ejus, ad  
Ethicam & Politicam applicatione,  
ipſi Peripatetici varient, dum eam  
nonnulli in Ethica & Politica seor-  
sim, alii in utraque conjunctim qua-  
runt, disceptatione vanissima peni-  
tusque insulsa, v. Weis. *Log. d.P.2.t.*  
4.c.2. §.5. Thom. *Philos.Pract. Tab. I.*  
2.32.

§. XXVI. Interim duplicitis me-  
thodi fabula late diffusa est. In  
specie Jurisprudentia quoque per  
eam affligitur. Sic nonnulli inter-  
pretes juris Romani, compilatores  
Pandectarum à tractatione Justitiæ  
ideo incepisse putant, quod discipli-

nas practicas methodo analyticā  
tradi conveniat, vid. Ekholt. ad ff. de  
justit. & jur.

§. XXVII. Quam putidum autem  
hoc sit, paululum attendantibus, ac  
præjudicio futili vacuis, facile con-  
stat, nam & in Pandectis nullus or-  
do, sed mera rhapsodia est, &, si or-  
dinatè Jurisprudentia tradenda esset,  
à consideratione Justitiæ non esse  
incipiendum, certis rationibus o-  
stendi potest, de quibus alibi.

§. XXVIII. Hujus ineptitudinis  
consectarium est, quando peculiaris  
methodus analyticā ex ordine Tri-  
boniani, quo jura juxta *personas, res*  
& *actiones* tradi posse, ille existima-  
vit, exsculpitur. Nam quam pravō  
judicio Tribonianus in illo ordine  
*personas & res* sibi opposuerit, pe-  
jori autem, ad alias Jurisprudentiæ  
partes, v. gr. Publicam & Ecclesia-  
sticam, eundem Scriptores nonnulli  
tra-

trahant, id prolixius in *præfationibus* Specimini meo Juris Publici & Ecclesiastici *præmissis* exposui, ampliusque in *Vindiciis Vitriarii castigatis* confirmavi, quæ huc transscribere non attinet.

§. XXIX. Autor artis cogitandi p. 4.c.i. methodum analyticam, *inventionis*, Syntheticam, *doctrinæ methodum* dicit, illam viæ, è valle in montem, hanc, è monte in vallem ducenti, vel, illam ascensui in tabella Genealogica à liberis ad stipitem communem, hanc descensui à stipite ad liberos facto comparat.

§. XXX. Quod si tu rem invertas tantum rationis pro te habebis, quantum ille pro sua sententia se habere putat, i. e. uterque nullam habet rationem, sunt enim suaves imaginationes, ac assertiones precariæ nullo fundamento subnixæ.

§. XXXI. Quando etiam Autor il-

le methodum prolixè satis deinceps declarat, à scopo penitus aberrare videtur, dum methodum & demonstrationem seu modum acquirendi veritatem de quo c.3. nostram proposuimus sententiam, confundit, nam manifestum est, quod tota tractatio non explicet ordinem integrarum disciplinarum vel thematum singularium, sed potius id demonstrare conetur, quando intellectus circa veritatem acquisitam, sibi fidere debeat.

§.XXXII. Illud quoque circa rem methodicam incongruum est, si quis in rebus moralibus & artificialibus, questioni *quid sit*, questionem *an sit*, postponendam existimare velit nam illa hanc virtualiter includit, hinc illa *absoluta*, hoc otiose moveretur.

§.XXXIII. Sic si v.gr. doceas, *quid sit lex naturalis*, ostendendo quod à

Deo

Deo sit lata, ac naturæ humanæ attemperata, eo ipso quoque simul docuisti, quod lex naturalis revera detur, hinc nimis sero & incongrue nunc movebis quæstionem, an sit.

**S. XXXIV.** Quodsi autem, istis propositis, ad præcepta legis naturalis progrediari, tum neutiquam quæstio *an sit*, tractatur, sed potius post explicatam *existentiam & essentiam*, ejus *argumentum* recensetur, nam hæc tria circa quamvis legem summatim occurunt.

**S. XXXV.** Ad ineptias methodicas non refero *methodum causalem*, nam illa sane in quibusdam thematibus bene se habet, actus enim humani, ut contractus, testamenta, delicta, commodissime utique explicantur, si allata definitione & divisione, consensum, personas, materiam, effectumque ejusque generis alia consideres.

§. XXXVI. Methodi tamen illius *abusus*, ineptiis memoratis meritò accensetur. Hic autem summatim consistit (1) in stribliginis Scholaстиcæ usu, nec non (2) pedantica illa clarigatione, qua singularum causarum adventus intimatur, (3) causarum nimis remotarum adductione, (4) contorta earum expositione, & (5) methodi causalisi ad quævis themata applicatione.

§. XXXVII. De duobus prioribus jam diximus cap. prec. §. 36, 37, 38. Tertius in primis circa causam *efficientem* & *finalē* evenire solet, dum ultima causa, à nullo in dubium vocata, ac omnibus rebus fere communis, in quavis re speciali adduci solet.

§. XXXVIII. Quartus autem circa formam accidere solet, quæ miras sæpe formas assumere cogitur, in primis in Jurisprudentia. Sic forma in-

interna impunitatis conatus in delictis, nonnullis in *concurso actus im- punitatem concedentis cum conatu de- linquendi*, consistere creditur, exter- na autem esse censetur, quoad actus punibiles, v. gr. *mors rei, præscriptio, remissio pœnae, pœnitentia delinquere conantis, &c.* quæ omnia nimis con- torta & inaccurata esse, penitus at- tentientibus facile liquebit.

§.XXXIX. Quintum abusum sæ- pe etiam deprehendere licet. Sic si quis de *obligatione ex testamento im- perfecto* acturus, per omnia causa- rum genera obligationem illam vo- lūtaret, tum nimis languida, elum- bis ac à scopo principali abludens futura esset dissertatio, cum ad exi- stentiam illius obligationis tractatio referri debeat, utpote de qua præci- pua est quæstio.

§.XL. Aptius igitur elaboratio de- curreret, si præmissis illis, quæ ad noti-

tiam quæstionis necessaria videntur, deinde de existentia laudatæ obligationis disputatio instituatur, adductis rationibus, quæ in utramque sententiam afferri solent.

§.XLI. Disputationis recordor de *impunitate conatus in delictis*, quod thema Autor methodo causali trahere voluit, sed dum duo diversa subjecta, nempe *impunitatem & conatum*, semper junxit, non potuit non multum inconcinnitatis intercurrere.

§. XLII. Sic prima laudatur divisione *impunitatis conatus in committendo vel omittendo consistentis*, secunda *impunitatis conatus in mediatum & immediatum*, tertia in *voluntarium & involuntarium*, quarta quādō alia *impunitas constituitur per se, alia per accidens*. Verum tres priores pertinent ad *conatum*, sed non ad *impunitatem*, quarta autem ad hanc, non illam.

§.XLIIH.

§. XLIII. Pono quæ de origine, quod scil. impunitas ob æquitatem, utilitatem publicam ac imbecillitatem humanam concedatur, nec non *causa efficiente*, lege nimirum & legislatore dicuntur, illa ad ipsam impunitatem pertinent. Sed quæ de *subjecto activo*, homine scil. voluntate & facultate delinquendi praedito, ut & *passivo*, iis nempe omnibus, in quæ delinquendi conatus ferri potest, afferuntur, illa saltem quadrant ad conatum.

§. XLIV. Objectum impunitatis *conatus in delinquendo*, prohibentur esse *conatus in delictis*, hæc si de impunitate intelligentur, recte se habent, si vero de conatu tantum, vel de conatu & impunitate simul, tum manifeste incongrua sunt, quia eadem res foret objectum sui ipsius.

§. XLV. In concinnitates circa Formam commissas jam indicavi §.

38. quando ad *Finem* tráctatio deducitur , tum iterum sola impunitas spectatur, *effectus essentialis esse* prohibetur *exemptio ab omni pœna civili*, quæ ad impunitatem relata, recte se habent, sed *accidentalis effectus esse* creditur *infamia facti*, verum hæc non sequitur ob concessam impunitatem, sed ipsum conatum seu delictum incepsum.

§. XLVI. Non respuit thema allatum, methodum causalem, sed in eo aberratum est, quod subjectum totius tractationis certo non sit determinatum, sed tractatio per *impunitatem & conatum delinquendi*, vagetur. Quod si igitur, ut par est, illam subjecti loco, constituamus , tum methodus causalis non malè adhibebitur, nam , *quis impunitatem concedat, cui, in quibus delictis, quomodo, ob quam causam, quo fine & effectu illa concedatur, ordine explicari*

cari potest, præmissis etiam definiti-  
one & divisionibus necessariis.

§. XLVII. Illud quoque admo-  
nendum est, nonnullos methodum  
causalem verbis rejicere, sed re ipsa  
sectari, quales sunt illi, qui *regulas,*  
*positiones, axiomata ejusque generis*  
alia substituere malunt, nam illa per-  
tinent ad externum proponendi  
modum, adeoque methodo causali  
haut contrariantur.

§. XLVIII. Summatim de ineptiis  
methodicis ita pronunciandum vi-  
detur, quod *toties ineptitudo ad sit,*  
*quoties sine ulla vel insufficiente,*  
*materiæ consideratione, methodus ef-*  
*fingitur,* nam sicut per aerem navi-  
gare, aut flumen, ponte & naviis  
deficientibus, sicco pede transire  
non licet, ita etiam sine materia  
Ordinem moliri, insanum est.

CAP.

CAPUT XVI.  
DE  
PROCESSU DISPU-  
TANDI.

§. I.

**N**unc de Ordine Cogitationum sibi contradicentium, ex monito c. 14. §. 2. quoque agendum est, sicut autem omnis contradictionis legitima, præcipiuus scopus est, veritatis confirmatio errorumq; destructio, ita quibus mediis utrumque obtinendum sit, supra §. 3. ostendere conatus sum, quæ hic præsupponuntur.

**§. II.** In specie ex d. c. 3. §. 73. 74. 75. in memoriam revocandum, quod veritates aliquando sibi subordinari queant, aliquando non, quod idem etiam de erroribus dicendum, hinc contradictione non unquam versatur circa veritatem ac errorem singularem, aliquando circa generalem sub quo

quo plura lateant, & inde deduci possint, vel etiam actu deductas sint.

§. III. Ultimo casu rationi est consentaneum, ut circa principium, ex quo cætera profluunt, contradictione instituatur, nam eo sublatu vel firmato, conclusiones quoque vel ruunt vel subsistunt. Nihil tamen prohibet, quo minus illa disquisitio ne peracta, conclusiones deinde sìgillatim amplius vel evertantur vel confirmantur. Qui verò unicè circa conclusiones hæret, neglecto principio, is stuporem vel imperitiam eo ipso ostendit.

§. IV. Porro circa veritates subordinatas iisque oppositos errores, duplex contradicendi ratio est, καὶ ἀληθεῖαν, quando vel ipsum principium, vel inde deductas conclusiones, rationibus, quas veras credimus, impugnamus, & καὶ ἀργεστον, quan-

quando ex propriis adversarii principiis, conclusiones ejus everttere conamur.

§. V. Super *qua re* autem contradic<sup>tio</sup> vel disputatio instituenda sit, ejus dijudicatio dependet ex genuinis de vera & falsa eruditione principiis, quæ hic præsupponuntur. Porro quando aut *quo loco* disputandum sit, id ex circumstantiis æstimandum, in ea vero æstimatione facienda plus valet nativa judicii bonitas, quam prolixa doctrina, omne autem illud extra sphæram Artis cogitandi est, adeoque hīc præsupponitur, *conf.* Thomasius *introd. ad pbil. aulic. c. 15. §. 4. seqq.* Ausübung der Vernunft-Lehre / c. 5. §. 38. seqq.

§. VI. Disputatur autem vel *viva voce*, vel *in Scriptis*, uterque modus quoad negotium principale iisdem nititur regulis, eademque ratione per-

peragitūr, ceu ex dicendis apparebit. De cætero prior modus posteriori est difficilior, quia majorem animi præsentiam requirit, corām enim si agitur, tela adversarii statim repellenda sunt, cum, si in scriptis certetur, longius meditandi spatum concedatur,

§. VII. Porro prior modus altero est expeditior ac ad inveniendam vel confirmandam veritatem aptior, si modo inter duos veritatis amantes res agatur, nam uti viva vox Scriptura longe est celerior, ita præfens colloctio multa tollere solet, quæ scriptis disputationibus prolixam, sed sæpe haut necessariam, præbent materiam.

§. VIII. E contrario posterior prior est tuncior, in primis quoad inexercitatos, sicut etiam certior, si talis obtigerit adversarius, qui vel ex imperitia fluctuare, vel malitia tergi-

ver-

versari soleat, tum enim litera scripta optime constringitur.

§.IX. Nos modum disputationis, viva voce peragendæ, explicabimus, ac quomodo dicta, ad scriptam contradictionem referenda sint, brevi applicatione ostenderemus. Varii quidem de hac re jam egerunt, ex recentioribus in primis *Jacobus Thomassus & Weifus*, liceat tamen nobis totius rei seriem, inspersis hinc inde observationibus propriis, breviter recensere.

§. X. Disputatio vivâ voce peragenda, est amica duarum sententiarum contrariarum collatio, à duabus, ingenii exercendi ac veritatis confirmande causa, legitime instituta.

§. XI. Est collatio amica, cum enim ex præscripto legis naturalis, regulatiter homines in statu pacifico existere debeant, ideo amicitia illa natu-

turalis in actu disputandi quoque adesse debet, cum nulla abruptæ vel abrumpendæ socialitatis ratio hic subsit.

§. XII. Sed de hoc alia Disciplina agit. Ars cogitandi ex solo Disputationum scopo necessitatem amicæ collationis deducit, animus enim hostilitate plenus & incompositis affectibus turgidus, ad veritatem erendum vel confirmandam ineptus est, qui igitur animo hostili disputationes instituunt, ex præcepto disciplinæ moralis, *injusti*, Artis cogitandi vero, *absurdi*, sunt.

§. XIII. Porro disputatio confert duas sententias, nam si vel maximè plures aliquando occurrant, non nisi duæ tamen successivè conferri possunt & solent; contrarias, quo nomine omne complectimur, quicquid ulla ratione ab alio dissidet.

§. XIV. Instituitur insuper ista col-

*collatio à duobus*, nam licet ex mo-  
re Academiarum, Respondenti Præ-  
ses, quem vocant, plerumque acce-  
dat, pro una tamen persona, mo-  
rali æstimatione illi habentur, ac u-  
triusque eadem sunt officia princi-  
palia.

§. XV. Nec id etiam nostræ asser-  
tioni obseruit, quod aliquando duo-  
bus aut pluribus vel simul, vel, quod  
frequentius fit, successive opponen-  
tibus, respondendum sit, nam adhuc  
inter duos res agitur, vel enim plu-  
res opposentes unius personæ viçে  
funguntur, vel Respondens pro nu-  
mero Opponentium, plures velut  
induit personas.

§. XVI. Imo ipsa res dualem per-  
sonarum numerum necessario po-  
stulat, cum enim inter verum & fal-  
sum non detur tertium (probabile  
enim nunc illi, nunc huic annume-  
ratur, si autem omnes sententiae  
sint

fint falsæ, quarum numerus binariū excedere potest, una tamen interim pro vera habetur illique cæteræ omnes apponuntur) ideo in casu contradictionis , quot etiam personæ fuerint , ad duas classes illæ redigendæ erunt, sed de hoc satis.

§. XVII. Excludimus igitur hic meditationes solitarias unius hominis , qui investigaturus veritatem, sententias diversas inter se confert, quamvis & illa soliloquia, proprio sensu disputationes dicere , nil vetet.

§. XVIII. De cætero in personis disputaturis requiritur tum *cognitio materiae disputandæ*, tum *recte cognitandi principia*, quo circa theses propositas rite versari , easque vel oppugnare, vel defendere queant, illa ex Disciplinis propriis , hæc ex iis, quæ supra diximus, præsupponuntur.

§. XIX. Instituitur Disputatio ob duplarem finem, alterum *Secundarium*, alterum *primarium* dicere licet, prior est *exercitatio ingenii*, posterior *veritatis confirmatio*.

§. XX. Primus finis quoad Tirones intenditur, saepe enim exercitia disputatoria eò fine instituuntur, ut quid in thesi aliqua vel impugnanda vel defendenda valeant vires, exploretur, deinde ut, quod dicitur, emendetur, habitusque rationes, intuitu certæ quæstionis, accurate conferendi, magis magisque acquiratur, quo, ubi serio res agitur, ad resistendum vel oppugnandum eò sint validiores, non secus ac milites umbraticis velitationibus ad prælia præparantur, nam hactenus à bello simile desumere licebit.

§. XXI. In istis exercitiis, primarius finis merito simul intenditur, ut Tirones eadem opera, & in arte di-

spu-

sputandi, & veritatis alicujus cognitione proficiant, quod si tamen aliquando infra primarium finem, exercitia illa subsistant, id non penitus reprehendendum est, cum alter finis iisdem obtineri aliquo modo possit.

§. XXII. Primarius autem Scopus est *veritatis confirmatio*, nam hæc potius nominanda, quam *oppugnatio errorum*, in hæc enim non acquiescendum, sed expugnato errore, veritas substituenda, quemadmodum in refectione ædium, non tam ruderum sordiumque ejectionem, quam potius rerum meliorum substitutionem intendimus, *conf.* Thomas. Ausübung der Bern. Lehre, c. 5. §. 5. 17.

§. XXIII. An autem leges divinæ veritatem jubeant, ac falsum prohibeant, ejus disquisitio alio pertinet, si tamen vel verbo res attingenda,

utrumque regulariter merito afferatur, præterea certum, quod homines, qui humanitatem non deposuerunt, instinctu naturali eoque fastis vehementi, in veritatis inquisitionem ferantur, denique vel communis hominum suffragio veritas necessaria esse existimatur, hinc non tantum libero beneplacito laudatus finis disputationibus præstituitur, sed & ex sublimioribus principiis idem necessarius est.

§. XXIV. Perverse igitur disputant, qui, si seriores agatur, errores defendunt, aut gloriam, quatenus cum veritatis defensione non cohæret, occupantur. Interim si praxin spectenius, hoc plerumque videtur fieri, cum inolita sit persuasio, Respondentem, sive vera sive falsa tueatur, victoriam reportare debere.

§. XXV. Causa hujus rei est, quod theses ad disputandum propositæ,

non

non ut *dubiae*, sed *terte* adducantur,  
& quas Respondens suo calculo jam  
ex esse probaverat, reliquorum vo-  
tis nondum auditis, tum igitur am-  
bitioni humanæ durum est, senten-  
tiā semel probatam mutare, ac er-  
torem publice agnoscere, quin po-  
tius omnia congerenda sunt, ne er-  
rasse videaris.

§.XXVI. Forte tamen in excusa-  
tionem vulgati illius moris, hoc af-  
ferri potest, quod disputationes pu-  
blicæ non tam veritatis, quam explo-  
randarum virium causa instituan-  
tur, hunc autem finem obtineri pos-  
se, licet quis subinde falsum pro ve-  
ro defendat, nam vel errore ejusque  
defensione ingenium ac eruditio  
ostendī potest, quod hactenus suffi-  
cit.

§.XXVII. Quod si quis istam excu-  
sationem admittere nolit, id tamen  
certum videtur, abusum illum so-

lam abutentium ostendere ineptitudinem, ipsi autem veritati non obesse, neque enim ex compromisso super hac certatum fuit, ita quidem, ut sententia Respondentis immutabili decreto deinceps pro vera sit habenda, hinc licet ille victoriam sibi tribuat, attamen uti Auditoribus liberum fuit aliter decernere, ita cuivis sententiam illam postea refellere licitum est, quod etiam saepè fieri, experientia docet.

§. XXVIII. Denique non quævis sententiarum collatio, sed *legitimes instituta*, titulum disputationis meretur. Hoc vero aliter fieri nequit, quam si quis certam aliquam thesin tueatur, alter vero oppugnet, quæ igitur Respondentis & Opponentis sint officia, id explicandum restat, nam horum legitima functione, universus disputandi processus absolvitur.

§. xxix.

§. XXIX. De *officiis* autem *justitiae* hic non sum⁹ solliciti, nam quod disputantes ab *injuriis* & *contumeliis* abstinere debeant, id *communia socialitatis* præcepta exigunt, quæ jam præsupponimus. De eo itaque saltem videndum, quid disputantes ex *hypothesi* finis præstituti, facere oporteat, nam imprudens est, qui fini proprio obluctatur; hæc si quis velit dicere *officia prudentiae*, non valde refragabor.

§. XXX. Cum vero disputantium *scopus* sit, cum *thesi* aliqua *rationes conferre*, ut *ingenium exerceatur*, ac *veritas eruatur*, hinc *juxta normam* unice eorum *officia* *judicari* debent, quorum adeo *summa* est, *propositum semper tenendum*, ac *rationes altatas cum thesi proposita ita connectendas esse*, ut ab ea illæ neutiquam aberrent.

§. XXXI. Sed quo explicatius hac

de re constet, observandum est, quod juxta morem in Academiis receptum, totus actus disputatorius partibus *accessoriis & principalibus* constet.

**§. XXXII.** Ille vel antecedunt principales, nempe invitatio ad opponendum, eique reposita responsio, vel comitantur, quo pertinet omnis elocutio, personis differentibus attemperata, vel consequuntur, mutua scil. gratiarum actio. Haec vero ipsam sententiarum diversarum collationem exhibent.

**§. XXXIII.** Quoad actus accessorios in genere observandum, quod sermo prolixus ac nimium affectatus omitti debeat, alias enim quis plus vacasse videtur rei accessoriæ, quam principali, quod est contra finem, adeoque imprudens.

**§. XXXIV.** Exempla autem formularum, in actibus disputatoriis usi-

usitatarum, adducere, nostri non est instituti, illa enim Logica non docet, sed præsupponit, *vid. Weis. Log. p.2.l.4.c.5.* Quis porro curialia illa peragere debeat, *Præses an. Respondens*, id non à norma antea laudata, sed consuetudine dependet, cui prudens se merito attemperat.

§.XXXV. Ut officiâ specialia, circa actum principalem observanda, intelligantur, prænotandum (i) posse disputationes institui vel per *Syllogismos*, vel per *questiones & responsiones*, seu mutuas propositiones simplices, uterque modus ad inquirendam veritatem est satis aptus, licet utroque etiam abuti possint viti-litigatores & Sophistæ.

§.XXXVI. Hodie disputatio per Syllogismos est usitata, quamvis nec illud infrequens sit, ut conflictus Syllogismo inceptus, soluto discur-

su deinceps continuetur, inspersis etiam pro re nata quæstionibus & responsonibus, & licet recepto huic modo non adeo faveat Dn. Thom. in der Ausübung der Vernunft-Lehre/c.5. §.24. eum tamen locum suum tueri posse, existimem.

§.XXXVII. Deinde notandum (2) quod officia vel sint *communia*, vel alteri *propria*, ac (3) utraque, alia erga illum, qui officium suum quoque observat, & eum, qui illud negligit.

§.XXXVIII. His positis, videbimus, quæ sint officia tam communia quam propria erga officium observantem, deinde negligentem, & utrumque quidem intuitu modi hactenus usitati, quo per Syllogismos disputatio institui solet.

§. XXXIX. Regulæ communes, tam Respondenti quam OppONENTI observandæ, hæ fere sunt (1) *thesin disputandam uterque habeat perspectam*

*Et amē cognitam, nam sine ista cognitione, nihil rite agi posse, manifestum est.*

§. XL. Porro (2) sermone sufficiente, neque nimis prolixo, neque brevi, rationes proponantur, nimia enim prolixitas vim rationum dissipat, brevitas vero obscuritatem introducit, adeoque utraque veritatis inquisitionem impedit, (3) uno loquente alter fileat, simultaneo enim clamore veritas non eruitur sed opprimitur.

§. XLI. Denique (4) qui suam sententiam protulit, is alterum quoque a quo animo audiat, disputatio enim habetur, non oratio, quæ ad unum omnem loquendi facultatem transfert, (5) adthesin in conflictus continuatione, disputantes semper respiciant, hoc neglecto, disputatio legitime licet incepta, à scopo facile aberrabit.

§.XLII. Regulæ speciales quo re-  
cte intelligantur, B. Thomas, in *Pro-  
cessu disputandi Logice adjuncto* §.  
27. tres conflictus distinguit; (1) ob-  
jectio ab Opponente proponitur,  
quam assumit Respondens, petita  
insimul propositionis alterutrius, vel  
utriusque probatione, (2) sequitur  
probatio Opponentis cum responsi-  
one Respondentis, hanc (3) Oppo-  
nens nova exceptione elidere cona-  
tur, sed Respondens datam respon-  
sionem amplius confirmare nititur.

§.XLIII. Addit laudatus Autor §.  
29. super eodem argumento à peri-  
tis sæpe quidem diversis instantiis  
certari, revera tamen omnem di-  
sputationem ad tres istas concertati-  
ones posse redigi, adeoque non tam  
augeri quam repeti conflictus. Po-  
sita ista distinctione deinceps juxta  
eius mensuram, officia tam Respon-  
dentis quam opponentis adducit.

§. XLIV.

§. XLIV. Forsitan non incongrue ad duo capita , universa disputatio redigi potest , vel enim disputantes aciem *velut instruunt*, vel *actu confi-*  
*gunt*, nam quoad rem dissident, adeo que hactenq; disputatio bello com-  
parari potest.

§. XLV. Ad primum caput perti-  
net Objectionis *propositio*, ejus *assum-*  
*tio* ac *probationis petitio*, *probatio*, hu-  
jusque *repetitio*. Cum enim Re-  
spondens ad aciem instruendam , a-  
liquam thesin proferat eamque sæ-  
pius diversis rationibus munit, vel,  
hoc non facto, pro veritatis posse ffo-  
re tamen interim habeatur , hinc  
quo res ad æqualitatem redigatur, o-  
pus est, ut Opponens etiam suam an-  
tithesin producat rationibusque  
confirmet, quo velut legitimus ad-  
versarius à Respondente agnosca-  
tur, quo fine omnes actus mémorati  
requiruntur.

§. XLVI. Postea sequitur alterum caput, seu *ipse conflictus*, postquam enim Respondens probationem datam repetiit, primum quasi ictum sua responsione Opponentis infligit, quem Opponens declinare, ac efficacius adversarium adoriri solet, atque ista concertatio mutuis responsionibus vel replicationibus deinceps tam dia continuatur, quam diu visum fuerit, vel etiam tempus ac vires permittunt.

§. XLVII. Sed summa rei in actus disputatorii partitione non consistit, hinc hactenq; quivis suo sensu abundet! Nos interim juxta datam divisionem regulas speciales partiemur: ab *OppONENTE* autem incipiendum est, ceu ex dictis constat.

§. XLVIII. Hic quo debite aciem instruat, has observet regulas, (I) *certa thesis eligenda*, est autem thesis vel expressa vel occulta, porro ubi com-

complexus variarum thesium exhibetur, licebit vel *verba*, vel *rem*, vel *methodum* impugnare, quod latius declarat B.Thom. *d.l.!.*§.38.*seqq.*

§. XLIX. Quod autem idem, verba & methodum non adeo recte oppugnari existimet, id non indistincte admittendum videtur, cum enim & in his peculiaris veritas lateat, de hac etiam disputari potest, præterea cum error in methodo commissus, error rem circa materiam quoque arguat, ut c.14. §.76.*seqq.* ostendimus, hinc vel ideo oppugnatio methodi admittenda erit, taceo, quod sæpe materia ab aliis mutuo sumta, verba autem & methodus, Respondentis propria sint, adeoque majori jure hæc, quam illa impugnari posse videantur.

§. L. Electa thesi (2) *status controversie circa illam recte formandus*, quod fit, dum vel simpliciter senten-

tentia Respondentis adducitur, addita futuræ contradictionis mentione, vel dum ex thesi quæstio formatur, ac ex duabus sententiis contrariis, altera Respondenti tribuitur, altera ab Opponente assumitur.

**§. LI.** Exerit autem se hoc officium, magis aut minus, pro ratione materiæ, nam uti in re plana, operose statum controversiæ formare, putidum est, ita obscuritas hoc officium postulat, maxime si adversarii calliditas & tergiversandi studium simul metuatur, judicio igitur, sicut alias, ita in explendo etiam hoc officio, opus est.

**§. LII.** Formato controversiæ statu, (3) *legitime est contradicendum*, quod hactenus opponens vel promisit, vel minatus est. Fit autem contradictione vel directe, dum aper te thesis negatur, vel indirecte, dum per adductionem absurdum, quod ex ea

**ca** fluat, ejus falsitas ostenditur. Prior est magis naturalis & regulariter ob-servanda est, posterior tamen subin-de non male adhibetur, *add.* Thom. d.l. §. 23. 66.

§. LIII. Est autem (4) *contradiccio instituenda per Syllogismum* (ob con-suetudinem) *perspicuum*, (obscuri-tas enim à scopo abducere potest) *formaliter bonum*, Thomas. d.l. §. 62. & *proxime thesif erientem*, Id. d.l. §. 68. (qui enim multa inania argu-menta decantat, ille vanitatem vel imperitiam potius ostendit, quam accurati Opponentis munere fun-gitur) nec non *ex materia propria desumtum*, *vid.* Thom. d.l. §. 86.

§. LIV. An autem quis categori-ce vel hypotheticè , in hac aut illa figura concludere velit , hactenus quidem perinde est, interim modus concludendi maxime naturalis & *perspicuus*, *obscurioribus minusque na-*

naturalibus semper præferri debet,  
d.l. §. 72. seqq.

§. LV. Cæterum magna sæpe Opposituros incessit sollicitudo inventi & continuandi oppositiones, sed hic nulla pharmaca prosunt, loca topica aliaque inventa frustra inculcantur, si animus rudis ac rerum necessariarum cognitione vacuus sit, quam ob rem unicum oppositionū afferendarum fundamentum est solidia materiæ disputandæ cognitio, hac qui destituitur, palæstram disputatoriam vel deserat, vel minimum, quod valde nocere non posse, fateatur. *conf.* Weis. *Lög.* p. 2. l. 4. c. 3.

§. LVI. Quando Opponens suo officio, juxta hactenus dicta defunctus est, tum Respondentis officium his fere regulis continetur, (1) *status controversiæ repetatur*, pro indole materiæ, prolixe aut breviter, (2)

ar-

*argumentum propositum assumatur,*  
& iisdem quidein verbis, si satis com-  
moda fuerunt, *add.* Thomas. d. l. §.  
83. 84.

§. LVII. Postea (3) probatio ejus,  
*quod dubium videtur, peti debet, quod*  
*monitum latius declarat, ejus pue u-*  
*tilitatem inculcat, Thomas. d. l. §. 86.*  
*seqq. quod si tamen adeo evidens fit*  
*objection, ut nulla propositio, prout*  
*iacet, commode negari queat, sed*  
*limitatione aliqua circumscribenda*  
*fit, tum recte faciet Respondens, si,*  
*hac addita, probationem deinceps*  
*postulet.*

§. LVIII. His peractis, Opponens  
hæc monita observare debet, (1) *de-*  
*siderio Respondentis breviter repetito,*  
*probandum est, utile esse, ut oppo-*  
*nens non statim addat probatio-*  
*nem, sed petitionem Respondentis*  
*expectet, ostendit Thomas. d. l. §.*  
*101. seqq. in re tamen maxime evi-*  
*denti*

denti, petitionem antevertere licet.

§. LIX. Deinde (2) distinctæ probations distinctæ sunt proferenda, confusione enim vis earum perit, ac Respondens facile obruitur, ne ad singulas respondeat, nec tamen, (3) nimis multæ debent cumulari, nam & hoc Respondentis memoriaræ grave est, ac otiosas causatur repetitio-

nes,

§. LX. Id quoque (4) cavendum, ne loco probationis aliud quid afferaatur, v. gr. novus medius terminus vel ratio, quando enim ita vagatur Opponens, solida controversia discussio expectari nequit. Interim probationis & novæ rationis confusio frequens esse nec animadverti solet, in primis cum interveniens realitas vitium commissum abscondat.

§. LXI. Amplius (5) id, quod exigit

*git Respondens, probandum, licet enim  
in probationis exactione erraverit,  
ejus tamen desiderio annuendum  
est, quamvis necessaria probatio, li-  
cet non petita, merito addatur.  
Quod si forte propositio, cuius pro-  
batio petita, sit indemonstrabilis, lo-  
co probationis, conditio propositio-  
nis explicari debet. In omnem igi-  
tur eventum Opponens præparatus  
esse debet,*

§. LXII. De cætero (6) pro indeole  
materia, nunc discursu soluto, nunc  
*Syllogismo, probatio in situ potest, uti  
putidum est, semper Syllogismos  
erepare, ita aliquando ad energiam  
rationis ostendendam, iis recte uti-  
muri, add. Thom. d.l. §. 106. seqq.*

§. LXIII. Posthæc Respondens  
*probationem recte factam repetere  
debet, ista enim repetitio sua non  
destituitur utilitate, facit enim Re-  
spondentem de mente Opponentis*

certiorem, instruit Auditorii judicium, ac præparat digeritque eo melius materiam, cui responſio deinceps aptanda, *add.* Thomasius *d.l.*, §. 125. 126.

§. LXIV. Sic acies instructa est, tum succedit conflictus. Post factam igitur probationis repetitionem, Respondentis est, *distincte ad id quod objectum est, respondere*, uti autem hoc vel ratione argumenti principalis, vel date probationis fieri potest, ita ad regulam eo melius intelligendam, diversa respondendi ratio notari debet.

§. LXV. Summatim respondemus vel concedendo, dum id quod opponens adduxit, velut innocuum, admittimus, quæ respondendi ratio, illo officium summa rite observante, locum non invenit, vel negando, quæ negatio vel *absoluta* est, quæ *simpli-citer*, vel *limitata*, quæ cum restri-  
ctione negat.

§. LXVI.

§.LXVI. Absoluta est vel *nuda*, quæ nullam rationem habet adjunctam, quo usque illa à Respondente hic adhiberi queat, mox ostendem⁹,  
 §. 83. neque enim illam simpliciter rejicimus cum Thomasio d. Proc. diff. §. 133. vel non *nuda* seu prægnans, quæ aliqua ratione stipatur,

§.LXVII. Hæc iterum est vel *indirecta*, dum per *instantiam*, objectio-  
 nis universalitatem infringimus, aut per *inversionem* eam evertimus , ut-  
 troque,in primis autem ultimo,mo-  
 do uti solemus, quando objectionis  
 infirmitas oppido evidens est, vel *di-  
 recta*, quando negationem aperta ra-  
 tione confirmamus.

§. LXVIII. Hoc autem fit , si vel  
 objectionem directo profligemus,  
 vel ejus contradictoriam veram esse  
 ostendamus, solet de cætero respon-  
 sio directa vel statim dari , vel re-  
 sponsioni per instantiam aut inversi-  
 onem, subjici.

§.LXIX.

§. LXIX. Limitata negatio præsupponit distinctionem, per quam ostenditur, quod in sententia opposentis aliquid admitti & negari queat. *Facultas distinguendi ex cognitione materie profluit*, hanc igitur si quis probe intelligat, ei distinctiones confidere & eloqui non fuerit difficile.

§. LXX. Solent distinctionum formulæ componi, vid. Weis. log. p. I. 13. c. 14. quæ si eo fine comparentur, ut quis cogitata sua, mediantibus iis, eo promptius proferre queat, tum easum usus bene se habet. Ast si Tironibus eo sensu ediscendæ exhibentur, quasi in earum notitia, omnis respondendi facultas consistat, tum perniciosæ existimari debent, nam rude ingenium iis imbutum, segnius rem ipsam meditari, ac non verba conceptui attemperare, sed hunc juxta formulam præconceptam torquere;

quere, aut verba sensu destituta recitare incipiet, ex quo non possunt inepti vanique disputatores existere, add. Thomasius *Proc. disp.* §.150. seqq.

§.LXXI. His positis, ad officium Respondentis ulterius pertinet, *responsionem datam objectioni recte applicare*, quod late patet, adeoque distinctius paululum declarari metetur.

§.LXXII. Quodsi igitur Opponens per deductionem ad absurdum thesin oppugnaverit vid. §.52. tum triplex respondendi ratio locum habere potest, vel enim negatur ex premissis illa qua Opponentis est propria, vel negatur conclusionis absurditas, vel conceditur totum argumentum.

§. LXXIII. Primus modus obtinet, quoties in argumento indirecto, propositio Opponentis propria,

Q

fal-

falsa nobis videtur, v.gr. si thesis hæc  
*Majestas non est immediate à DEO,*  
 argumento indirecto oppugnetur  
 hoc modo:

*Quicquid non est immediate à Deo,  
 ei subditi licite resistunt,*

*Majestas non est immediate à Deo,*  
*E. Majestati licite subditi resistunt,*  
 tum major, opponentis propria, re-  
 cte negabitur.

§. LXXIV. Secundus modus vi-  
 detur esse paradoxus, cum alias satis  
 notum sit, Respondentem non con-  
 clusionem, sed præmissas aggredi de-  
 bere, sed hoc ad argumenta directa  
 pertinet, in indirectis aliter se rem  
 habere, jam c. II. §. 31. seqq. admoni-  
 tum, & hic amplius inculcandum  
 est.

§. LXXV. Nimirum in argumen-  
 to indirecto Conclusio est contra-  
 dictoria medii termini, quo Oppo-  
 nens uteretur in argumentatione

directa, sicut igitur hoc casu, medium terminum directe adhibitum, ac in Præmissis occurrentem, negare liceret, ita quando per obliquum ex thesi oppugnanda conclusionem, sui medii termini contradictoriam, elicuit opposens, tamque pro absurdita venditat, recte hanc absurditatem negamus, cum sit Ejus medii termini, à nobis si aperte in conspectum prodiret, improbandi vel negandi, consectarium.

§.LXXVI. Exemplo rem illustrabimus, thesis hæc esto: *Subditi majestatem Imperanti pacto concedunt, hanc quis impugnat argumento indirecto:*

*Quicquid subditi Imperanti concedunt, illud ante habent,  
Majestatem subditi Imperanti pacto concedunt,  
E. eam ante habent,  
conclusio est absurdia, ergo alterutra*

præmissarum, non major, ergo minor,  
seu thesis disputantium.

§. LXXVII. Hic recte negatur a Respondente conclusionis absurditas, nam ejus contradictoria, est medius terminus, quo opponens in argumentatione directa uteretur, quiique adeo locum minoris subiret, v.gr.

*Quicquid subditi non habent, illud dare non possunt,*  
*Majestatem non habent,*  
*E. dare non possunt.*

§. LXXVIII. Si ita prodiret argumentum, tum minor negaretur, ergo merito amplius negatur, quod illius contradictoria, quæ in argumentatione præcedenti indirecta, locum conclusionis occupabat, sit falsa & absurdâ, breviter: *in contradictione directa negatur medius terminus, in indirecta, ejus consequitum, quod circa conclusionem afferatur.*

§. LXXIX.

§. LXXIX. Liquet autem ex allato exemplo, quod negatio, quæ circa Syllogismorum indirectorum conclusionem occurrit, possit esse *limitata*, nam conclusio, *subditi Majestatem ante habent*, absurdum esse negatur non simpliciter, sed certo modo, nam materialiter utique ante pactum cum Imperante initum, Majestas in subditis fuit, & sic hoc sensu, propositio absurdum esse negatur.

§. LXXX. Tertius modus argumentum concedit, si scil. Opponens thesin nostram alio sensu acceperit, nec adeo illa nostra sit, v. gr. si quis doceat, *emtionem mutuo dissensu posse dissolvi*, quia *mutuo consensu sit contracta*, ac aliquis hanc rationem, hoc argumento indirecto aggrediatur :

*Quicquid mutuo consensu constat,  
illud mutuo dissensu potest solvi,  
At qui matrimonium &c. E.*

Q 3

con-

conclusio est absurda, ergo alter utra præmissarum, non minor, ergo **major**, seu ratio disputantium.

§. LXXXI. Tum recte totum argumentum conceditur, nam major non est respondentis, hic enim non universaliter asseruit, quod id, quod mutuo consensu constat, dissensu mutuo possit solvi, sed solum de regula locutus est, exceptionibus non negatis, vel quod eodem recidit, respondens rationem datam *particulariter* supposuit, sed opposens eam *universaliter* accepit.

§. LXXXII. Quod si opposentis directa argumentatione compareat, tum pro ratione diversæ responsionis, diversa est applicatio. Si argumentum Respondens concedat, tum ratio hujus rei erit reddenda, supponimus enim opponentem peritum, & officii sui observantem, hinc talis concessio regularitet locum non in-

invenit , sed objectio semper speciem veræ contradictionis habet, quæ adeo,concessione nihilominus interveniente , explicatione dilui debet.

§.LXXXIII. Si vero Respondens probationem datam à scopo aberrare, adeoque concedendam esse arbitretur, tum, hoc facto, in argumēto principali, propositionem antea negatam, adhuc negat, quo casu nuda negatio sufficit , cum perinde sit ac si opponens nullam adhuc probationem attulisset, vid. §.66.

§. LXXXIV. Quodsi Respondens *absoluta negatione defungi* velit,tum illa non debet esse nuda , nam aliās in infinitum omnes rationes allatas negare posset, sed potius ratione munita , qua vel objecta propositio directo refellatur, vel contrariæ veritas ostendatur.

§. LXXXV. Deinde notandum,  
Q 4 pos-

posse vel refelli probationem solam, sive syllogistice sive soluto discursu prolatam, (per hujus enim latus, negata argumenti propofitio quoque tangitur) vel utrumque & propositionem & probationem, *vid. Thom. d.l. §. 126. seqq.*

§.LXXXVI. Ulrum vero facere velit Respondens, semper certæ propositioni responsionem debet opponere, hoc enim ansam præbet opponenti recte excipiendi, & Auditorio dexteritatem Respondentis in primis adprobat. Præterea si per instantiam vel inversionem velut prælufserit, responsionem directam merito addit.

§.LXXXVII. Si tandem *limitate* negare velit, tum primo *distinguat*, secundo *distinctionem explicet*, tertio eam ad *argumentum applicet*, quæ *applicatio*, *limitationis nomine* venit. Cæterum illa anxie non semper sunt

sunt observanda , nam si distinctio satis sit nota , nimis fuerit putidum , eam prolixè referre & explicare , rectius tum limitatione statim defungimur.

**§.LXXXVIII.** Quam varie autem distinctiones datæ argumento applicari queant , docuit Thom. d.l. §.160. seqq. quorum summa , nisi fallor eoredit : fit applicatio vel *indeterminate* ad totam propositionem , vel *determinate* ad certum terminum .

**§. LXXXIX.** Utraque applicandi ratio ulterius fit vel *difformiter* , dum alterum distinctionis membrum majori , alterum minori aptatur ; quo ipso quatuor termini vitium in forma ostendunt , vel *uniformiter* , quo facto , vel vitium in materia deprehenditur , vel totum argumentum , innocuum esse incipit .

**§. XC.** Peragitur autem illa uniformis applicatio dupli modo , vel

**Q 5** enim

enim utrumque distinctionis membrum simul & majori & minori applicatur, quo casu minor quoad alterum membrum, deinde negatur, ac probatio data, ad alterum membrum non negatum, pertinere ostenditur, vel unum faltem distinctionis membrum, idque iterum triplici modo.

§ XCI. Vel enim illud membrum applicatur (1) ad solas præmissas, quo casu semper una concessa, altera negatur, vel (2) ad unam ex præmissis & conclusionem, quo casu aliquando totum argumentum conceditur, aliquando limitata propositio negatur. Utroque autem casu, quoties præmissa limitata negatur, toties probationem Opponentis, ad alterum distinctionis membrum non applicatum, pertinere dicendum est.

§ XCII. Vel denique (3) ad præmissas & conclusionem, quo casu totum

tum concedi solet, v. gr. argumentum §. 77. propositum sic limitari potest:

*Quicquid subditi non habent (formaliter) illud non possunt dare (formaliter i. e. tanquam rem ante pactum formaliter existentem,)*

*Atqui Majestatem non habent, (formaliter.)*

*E. non possunt dare, (formaliter.)*

§. XCIII. Atque ita conceditur argumentum salva thesi, hæc enim non dicit, subditos Imperanti Majestatem dare, velut rem penes ipsos ante pactum formaliter existentem, sed potius, eos ipso pacto Majestatem formare, aut saltem ejus formandæ mensuram legi naturali exhibere, atque ita Imperanti eam concedere.

§. XCIV. Cæterum circa illam doctrinam breviter exhibitam, duo

notanda, (1) omnem limitationem fieri determinate ad certum terminum, secus ac putabat *Thomasius*, nam exemplum contrarium, *Quicquid statuit Majerus, illud est verum,* (limito, si scil. ipse sequitur opinionem communem,) *At qui omne animal esse brutum statuit Majerus.* E. est verum, (si scil. sequitur communem opinionem,) nihil probat.

§. XCV. Nam limitatio non pertinet ad totam propositionem, quod vult *Thomasius*, nec ad terminum majorem, quod alios putare posse, *Idem censet, sed ad medium,* nam licet in Conclusione limitatio occurrat, attamen non ex ejus situ, quem inscitia applicantis fecit, sed *inerna habitudine* judicandum, quorsum illa pertineat, quod & ipsi Thomasio suboluit d.l. §. 162, in fin.

§. XCVI. Postea (2) notandum, quod totum limitandi mysterium

ex fundamentis suis plenius solidiusque ita possit erui: Nimirum duo summatim spectari debent, *cui*, & quid applicandum sit.

§. XCVII. Quoad primum ita habendum, vel propositi argumenti terminus *major*, vel *minor*, vel *medius* limitatione circumscribi potest, hinc calculo recte subducto, in universum septuplex limitandi ratio hoc respectu, occurrere vel saltem supponi potest.

§. XCVIII. Vel enim limitatur (1) subjectum s. terminus minor, vel (2) prædicatum s. major, vel (3) terminus medius, vel (4) major & minor, vel (5) major & medius, vel (6) minor & medius, vel (7) major, minor & medius.

§. XCIX. Supponi posse totuplarem limitandi rationem, in confessu est, sed uti eadem in quibus vis syllogismis occurrere non potest, ita, et-

iam si materia eos admittat, attamen illos omnes necessario esse adhibendos vel utiliter adhiberi, nolim dicere. Interim quo fidem dictis adstruamus, omnes illas limitandi rationes exemplo illustrabimus, quæ si alicui nimis scholastica & tædiosa videantur, is sine conscientia scrupulo eadem præterire potest.

§. C. Thesis esto: *Rex non moritur*, hanc si quis ea ratione, *quod nascatur*, oppugnare velit, tum manifestum est, quod omnes tres termini, *minor*, *major* & *medius*, sunt limitabiles, hinc omnes modi antea atliti locum habere possunt.

§. CI. Opponit aliquis: *Quicunq;*  
*nascitur, ille etiam moritur.* Rex (limite individualiter seu concretive suppositus) *nascitur.* E. Rex (ita suppositus) *moritur.* Ita limitatur subjectum seu terminus minor, & videtur illa limitatione incongrue  
ad-

adhiberi posse, cum juxta eam totum argumentum concedi queat.

§. CII. Porro : *Quicunque nascitur, ille etiam moritur,* (limite, naturaliter,) *Rex nascitur, E. etiam moritur,* (naturaliter,) sic limitatur prædicatum seu terminus major, & potest etiam totum argumentum, hoc sensu concedi.

§. CIII. *Quicunque nascitur* (limite, nativitate una non successiva) *ille etiam moritur.* *Rex nascitur,* (nativitate una, non successiva,) *E. moritur.* Ita mediis terminus limitatur, nec videtur limitatio incongrua, cum ita constrictus non noceat, adeoque totum argumentum concedi queat.

• §. CIV. Ita sigillatim termini sunt limitati, ex quibus non difficulter reliqui quatuor limitandi modi complexi, explicari poterunt. Nimirum: *Quicunque nascitur, ille etiam*

*iam moritur, (limito, naturaliter,) Rex (individualiter suppositus) nascitur. E. Rex (individualiter suppositus) moritur, (naturaliter,) sic major & minor limitantur.*

§. CV. Nec incongrua est limitatio, licet enim Majoris circumscriptio sufficere possit, attamen si minor quoque coercentur, sensus theseos oppugnatæ, & quod argumentum objectum nuncque limitatum, ab illa plane abeat, adeoque eo citius totum concedi possit, magis apparet.

§. CVI. Ulterius: *Quicunque nascitur (nativitate una) ille etiam moritur, (naturaliter,) Rex nascitur, (nativitate una,) E. etiam moritur, (naturaliter,) ita major & medius limitantur, nec videtur limitatio improbanda, cum geminata restrictio eò magis ad liquidum deducat, quod thesis oppugnata, & argumentum ita restrictum, sensu plane dif- fe-*

ferant, adeoque hoc, illa salva, locum quoque habere queat.

§. CVII. Amplius : *Quicunque nascitur, (nativitate una) ille etiam moritur, Rex (individualiter suppositus) nascitur, (nativitate una,) E. Rex (individualiter suppositus) moritur.* Sic minor & medius circumscripti sunt & adhuc conceditur argumentum, utpote à sensu theseos propositæ, posita hac limitatione, plane diversum.

§. CVIII. Ex quo liquet, hanc limitandi rationem, etiam bonam, imo ex hypothesi majoris termini non limitandi, necessariam esse, nam limitatio medii nondum sufficiebat, cum ea stante nec argumentum concedi, nec propositio aliqua negari satis tuto posset, sed circumscripto etiam termino minore apparet, argumentum concedi posse.

§. CIX. Denique : *Quicunque*

na-

*scitur, (nativitate una) ille etiam moritur, (naturaliter,) Rex (individualiter suppositus) nascitur, (nativitate una vel simplici,) E. Rex (individualiter suppositus) etiam moritur, (naturaliter.) Hic omnes termini, major, minor & medius sunt limitati, & licet haec prolixitate opus non sit, attamen in exemplo allato haec etiam limitandi ratio non male adhibetur.*

§. CX. Nam per sollicitam illam omnium terminorum circumscriptiōnem eo redigitur argumentum, ut liquidissime appareat, id à sensu propositæ theses esse penitus diversum, adeoque totum concedi posse.

§. CXI. Sensus enim argumenti eo redigitur: *Rex nativitate simplici ortus, adeoque individualiter suppositus, moritur naturaliter.* Sed theses oppugnatæ hic est sensus:

*Rex*

Rex nativitate successiva natus, adeo que in abstracto suppositus, non moritur civiliter, i. e. diadema Regium à diversis subjectis, aliquando etiam tota Republica, semper sustinetur.

§. CXII. Id addimus, prolixam limitandi rationem, in scriptis disputationibus, non incongrue quandoque adhiberi, si forte adversarius adeo enormiter à sententia nostra aberret, ut omnes terminos alio sensu accipiat. In disputationibus vero viva voce habendis prolixitas illa memoriae nimis esset gravis, hinc sufficit, unius aut alterius termini ostensa dissimilitudine, adversarii ictum elusisse.

§. CXIII. Ex his satis intelligitur limitationum diversitas, quæ ex diversitate rei limitandæ, seu terminorum, qui circumscrībuntur, resultat. De aliis exemplis facile jūcari poterit, nam si omnes termini sint

sint limitabiles , diversa limitandi ratio hactenus exposita, locum invenire potest.

§. CXIV. Posthæc etiam spectari debet diversitas, quæ ex diversitate rei applicandæ oritur, vid. §. 96. nimurum membra distinctionis datæ vel difformiter , vel uniformiter applicantur , ceu jam §. 89. indicatum est.

§. CXV. Primo casu si unus terminus difformiter limitetur , quatuor , si, duo quinque si omnes tres, sex termini aderunt. Ego ultimum solum declarabo , ex quo duo priora simul intelligentur : Quicunque nascitur (nativitate una) ille moritur , (naturaliter,) Rex (individualiter suppositus) nascitur , (nativitate successiva,) E. Rex (in abstracto spectatus) moritur , (civiliter.)

§. CXVI. Secundo casu applicatio uniformis dupliciter fieri potest , vel

vel ut *omnia distinctionis membra*, terminis limitandis adhibeantur, vel unum saltem iis applicetur, ceu itidem jam §. 90. diximus.

§. CXVII. Poterit autem applicatio utriusque membra, vel unitermino, vel pluribus vel, omnibus adhiberi, & pro diversa applicatione diversimode deinceps negandum erit. Si medius terminus utroque membro limitetur, modo minor, quod admonitum est §. 90. modo major, quo ad alterum membrum, negabitur.

§. CXVIII. Prioris exemplum est: *Quicquid subditi non habent* (neque formaliter neque materialiter) *illud dare non possunt*, sic negatur deinde minor quo ad posterius membrum. Posterioris vero hoc: *Quicunque nascitur* (sive nativitate una sive successiva) *ille etiam moritur*, sic negatur majoris connexio quo-  
ad

ad secundum membrum.

§. CXIX. Si majori utrumque membrum applicetur, v. gr. *Quicunque nascitur, ille etiam moritur,* (tam naturaliter quam civiliter) tum negatur majoris connexio quoad membrum posterius. Si minori termino, v. gr. *At qui subditi* (sive seorsim, sive in actu pacis cendi conjunctim spectati) *majestatem non habent,* tum minor quoad secundum membrum negatur.

§. CXX. Quod si autem vel duo vel omnes termini utroque membro coerceantur, tum major & minor propositio certo respectu negabitur, quod unico exemplo (nam quatuor alias dari posse, ex §. 104, 106, 107, 109. colligitur) declarabo.

§. CXXI. *Quicunque nascitur,* (tam nativitate una quam successiva) *ille etiam moritur*, (tam naturaliter quam civiliter,) hic connexio poterit

rit negari quoad duo membra utriusque limitationis posteriora. Atqui *Rex* (tam individualiter quam abstractive suppositus) *nascitur*, (tam nativitate una qua successiva,) Ergo &c. hic posterius membrum primæ, & prius secundæ limitationis pugnant.

§.CXXII. Si autem unum distinctionis membrum applicetur, (qui est alter limitationis uniformis modus, *vid. §.116.*) tum, si illud adjiciatur, quod nobis non obest, conceditur totum argumentum, & hoc quidem, sive unus sive omnes termini limitentur, ceu ex omnibus exemplis, quæ §.101. usque ad §.109. attulimus, liquet.

§.CXXIII. Si vero alterum, quod nobis adversatur, applicetur, & quidem *medio termino*, tum aliquando propositio major, aliquando minor, erit neganda, ceu ex exemplo, §.118.  
alla-

allato, mutatis mutandis, intelligi potest, si autem *majori* aut *minori*, tum major aut minor propositio negabitur, quo facit exemplum, §. 119. si denique *pluribus terminis* aptetur, tum major & minor simul negari poterunt, quod ex exemplo, §. 122. huc inflexo, potest constare.

§. CXXIV. Summa igitur limitationum faciendarum hæc est: vel limitatur terminus major, vel minor, vel medius, & plerumque quidem sigillatim, aliquando etiam conjunctim. Deinde vel difformiter membra distinctionis applicantur, vel uniformiter, dum vel utrumque, vel alterum membrum termino limitando aptatur, *conf.* Weis. Log. P. 2. l. 4. c. 2.

§. CXXV. Cæterum hactenus dicta non aliò pertinent, quam ut Tirones in aliquo exemplo varietatem limitandi cognoscere, in eaque, prout

prout visum fuerit, amplius se exercere queant. Nam si ad contradictionem seriam deveniatur, uti quævis materia omnes limitandi modos non admittit, ita circa terminos limitabiles, toto illo limitationum apparatu, semper yelle uti, insanum fuerit.

§.CXXVI. Quodsi data responsio OppONENTI satisfaciat, tum contradictione quoad istam controversiam cessat ac ad alia proceditur. Verum plerumque suppetunt Ei nonnulla, quæ regereret velit, tum igitur hæc observet, (1) *datam responsonem breviter repeate*, eadem enim hic est ratio, quæ in §.63. ac (2) *contra eam rite excipe*, quod in genere fit, si semper Respondenti sit contrarius.

§.CXXVII. Quare in objectione indirecta, debet ostendere negatam conclusionis absurditatem, vel veritatem suæ præmissæ, vel quod ar-

R gu-

gumentum totum non possit concedi, in quorum uno, Respondens auxilium quærebatur, juxta ea quæ §. 72. usque ad 81. diximus.

§. CXXVIII. In oppositione directa, si Respondens *concedat*, juxta §. 82. 83. hoc fieri haut potuisse ostendendum est: si *negaverit* per *instantiam*, vel conclusionis absurditas, vel propositionis, Respondenti propriæ, veritas negari debet, si per *inversionem*, & hanc immerito esse factam, probandum est, si denique per rationem directam, juxta §. 84. 85. 86. eam quoque impugnare debet.

§. CXXIX. Denique si *distinxerit* & *limitaverit*, juxta doctrinam §. 87, seqq. tum Opponens vel ipsam *distinctionem oppugnabit*, ostendendo ejus falsitatem, vel illius *applicationem*, dum vel argumentum, facta limitatione, concedi, vel limitari potuisse negat, vel admissa licet limitatione, pro-

propositionem à Respondente, facta restrictione, negatam, adhuc veram esse contendit.

§. CXXX. Potest etiam utrumque agere Opponens, nempe & ipsam distinctionem impugnare, ac insuper vitium applicationis ostendere, in genere autem sive neget sive afferat quid in hoc conflictu, rationem addere debet, *conf. Thom. d. l. §. 176. seq.*

§. CXXXI. Præterea Opponens (3) otiosas ejusdem rei repetitiones debet omittere, ad finem enim disputationum illæ nihil faciunt, sed pertinaciam aut ambitionem repetentis faltem arguunt, simul tamen ejus ignorantiam non leviter produnt.

§. CXXXII. Porro (4) veteribus nova haue permiscenda, ista enim confusio vim rationum opprimit & inquisitioni veritatis obstat, si tamen (5) antiqua amplius urgere aut sola proferre non placeat, tum novæ

*rationes præcedentibus rite sunt con-jungenda.*

§. CXXXIII. Fit autem illud (ma-nente scil. eadem thesi) si vel *novam probationem*, vel ex *objectione gene-rali*, *novum membrum*, vel *novum pla-ne medium terminum*, afferamus, de-cætero *opponens* non semper *præ-dicit*, se *novum* quid nunc esse alla-turum, artis potius esse existimatur, dissimulasse artem, & veteribus no-va ita junxisse, ut idem discursus ad-huc videatur.

§. CXXXIV. *Novum istum cona-tum retundere* debet *Respondens* per *legitimam contradictionem*, & tum redeunt officia *Ejus antea expo-sita* §. 64. seqq. quibus hoc accedit, quod *novam rationem à veteri rite* *secernere* *debeat*, licet enim *oppo-nens* hoc dissimulet, à *Responde-n-te* tamen id observandum ac indi-candum est, quo appareat, primæ ob-

objectioni esse satisfactum.

§. CXXXV. Ad hæc iterum excipere poterit Opponens, quas exceptiones denuo diluit Respondens, quæ quidem reciproca concertatio tamdiu continuari potest, quamdiu voluntas & vires id permittunt, officiis hactenus expositis utrinque continentibus ; *conf.* Weil. *Log.* p. 2. l. 4. c. 4.

## CAPUT XVII.

DE

# FALLACIIS AC ERRORIBUS DISPUTATORIIS EORUMQUE PRÆCAUTIONE.

§. I.

**H**Æc præsenti Capiti reservanda sunt, ne præcedens nimiuin excrescat. Diximus hactenus quid Respondenti & Opponentí faciendum sit, erga *adversarium*, officiis sui me-  
R 3 ino-

morem, nunc ex monito cap. præc. §.  
38. dispiciendum est de Officio utri-  
usque erga eum, qui officium negligit.

§. II. Neglectum officii B. Thom.  
d.l. §. 13. 197. vocat *Licentiam*, quæ ta-  
men appellatio non per omnia satis  
congrua videtur, nam si quis ex *igno-  
rancia officium negligit*, tum huic er-  
rato *Licentiæ* nomen vix rectè tri-  
bueris, cum neglectus ille non tam  
voluntarius, quam involuntarius sit,  
licentia autem omnis, si non proæ-  
retica, attamen voluntaria esse de-  
bere videatur.

§. III. Si quis autem *expertinacia*,  
*ambitione* aut *alio pravo affectu* offi-  
cium non observet, tum neglectus  
ille vitium morale est, quod eo per-  
tinet, ut veritate oppressa, erroribus  
patrocinemur, aut aliis insultemus,  
hoc ergo *Licentiæ* nomine non re-  
cte veniet.

§. IV. Videtur igitur ordinarii of-  
ficii

ficii neglectus tum demum Licentiæ nomen mereri, si *ex joco*, vel *a-nimo alterum amice tentandi*, aut *ejus insolentiam coercendi*, quis à consuetis regulis abeat, hoc enim non improbandum, sed laudandum est.

§. V. Sed quicquid sit de nomine Licentiæ, vel etiam fallaciarum disputationarum moralitate, illud certum est, quod sæpe illæ aliaque errata in disputationibus occurrant. Quæ autem illa sint, tum quomodo iis possit occurri, & quæ recte disputationium heic sint officia, illud omne ex tractatione præcedenti intelligitur, ut breviter saltem illa indicandasint.

§. VI. Recte disputationibus hoc generaliter incumbit, ut officium negligentem admoneant, quo eodem recte fungatur, vel etiam ipsi defecatum suppieant, hoc uti aliquando

civilius, ita etiam difficilius, nec semper necessarium est, vid. Thom. d. l. §. 199. seqq.

§. VII. Ex istis specialia fluunt, quorum nonnulla retulit Thom. d. l. §. 204. seqq. Nos juxta ordinem ante dictorum, eadem considerabimus. Quod si quis in *curialibus* impingat, de quibus cap. præc. §. 31. 32. 33. 34. non solet errans admoneri, sed lapsus ille patienter potius est tolerandus.

§. VIII. Si monita generalia, de quibus d. c. §. 39. 40. 41. negligent disputantes, eorum observantia inculcari debet, hinc si *thesis disputande cognitio cesset*, major sollicitudo injungenda, ne inanis fiat concertatio, si peccet adversarius *nimia prolixitate*, urgendus est, quo vim totius discursus breviter, quandoque etiam syllogistice, exhibeat.

§. IX. Si *nimia brevitate*, quale  
exem-

exemplum exhibet Weisius *in Log. P.* 2. l. 4. c. 2. §. 5. explicatio uberior petenda, si nimis loquax & fervidus sit, tum admonendus est, quo & nobis spatium loquendi concedat ac ab interpellatione desistat.

§. X. Quod in specie opponentem attinet, de ejus fallaciis jam quidem actum est *c. 13. §. 17. seqq.* sed uti ea, quæ de falsitate objectionum quoad materiam ibidem diximus, non adeo huc, sed potius ad caput præcedens pertinent (nisi forte falsitas nimis sit evidens, ac adeo imperitiam Opponentis palam ostendat) ita hoc loco, paulo plenius, intuitu totius actus disputatorii, tam de fallaciis, quam erratis agendum erit.

§. XI. Si itaque opponens certam thesin haut eligat, contra monitum cap. præc. §. 48. interpellandus est, quo eam certo designet. Si statum controversiæ ex imperitia haut recte  
R 5 for-

formet, de quo §.50.51. juvandus est, si ex caliditate mutet ac alio abduce-re adversarium conetur , acriori et-tiam censura merito in ordinem redigitur.

§.XII.Si idem legitime non contra-dicat, de quo c.præc. §.52. actum, ex-emplum autem ineptæ contradicti-onis exhibet Weifius in Log.p.2.l.4. c.3. §.3. tum ineptitudo illa osten-denda, si non contradicat per Sylla-gismum, de quo c.præc. §.53. consue-tudo recepta urgeri, vel etiam hic defectus à Respondente suppleri sta-tim debet.

§.XIII.Quod si Syllogismus non sit per-spicuus , obscuritas tollenda erit, si non formaliter bonus, vitium o-stendi debet, si thesin proxime non feriat, vid. Weif. d.l.4.c.3. §.3. rogan-dus erit opponens, quo omissis ar-gumentis inanibus , efficax argu-mentum statim proponat, si denique

ex

*ex doctrina propria idem non sit desumtus, ad cathedram propriam ille erit ablegandus, quamvis, præmissa velut veniæ rogatione , responsio etiam addi queat, add. Thom. philos. aulic. c.15. §.22. seqq.*

§. XIV. Ita *opponens* in formanda objectione impingere potest, non minus Respondens in eadem assumenta, responseque præparanda offendere solet. Quod si adeo statum controversie non recte repetat, ac argumentum assumat, secus ac admonitum est c. præc. §. 50. tum Opponens eum adjuvare debet, si ex imperitia officium non observet, si vero ex calliditate & tergiversandi studio, arctius merito constringitur, quo debite objectionem excipiat.

§. XV. Si in *exigenda probatione* erret, contra regulam §. 57. non opus videtur, ut hunc errorem castiget Opponens, quia ultro ipsum depre-

hendet Respondens, si, data probatio-  
tione, aquam adhuc sibi hærere, in-  
telligat, *add. B. Thom. in Proc. disputationis*  
*§. 229. 230.*

**§. XVI.** Postea peccare potest op-  
ponens *probationem recusando* con-  
tra monitum c. pr. §. 58. tunc igitur  
urgendus est, quo officio satisficiat,  
solent tamen tres casus allegari, qui-  
bus Opponens ad probationem non  
teneatur.

**§. XVII.** Nimirum (1) si in deduc-  
tione ad absurdum, attulerit thesin  
aliquam respondentis, hujus enim  
probationem postulari nequit Op-  
ponens, (2) si propositio sit inde-  
monstrabilis, hic tamen loco proba-  
tionis, declaratio locum habet, (3)  
si sit negativa, *add. Thom. in Process.*  
*disputationis* §. 235.

**§. XVIII.** De ultimo latius disqui-  
rit Weisius *in Log. p. 2. l. 4. c. 3. §. 12. seqq.*  
cujus sententia eo credit, negatio-

nem

nem puram, non esse probandam, bene vero eam, quæ simul tacite affirmet, vel positivas innuat circumstantias, quæ sententia regulis recte ratiocinandi satis etiam est consenteantia.

§.XIX. Est tamen amplius observandum, an Opponens in genere neget, an vero ratione negativa speciali utatur, illo casu, v. gr. si dicat: *tua thesis nullis nititur rationibus*, non puto Respondentem ad probationem teneri, nec enim *is docet*, sed *disputat*, i.e. objectiones repellit, ubi adeo nihil omnino affertur, nihil etiam ipsi agendum est.

§.XX. Sed hoc casu, non incongrue probatio à Respondente postulatur, v.gr. si quis ita argumentetur: *quicquid neque jure divino neque humano prohibitum est, illud licite suscipitur*, Atqui *Polygamia &c.* nam hic recte exigitur à Respondente, ut

indicet loca illa , in quibus Polygamiam prohibitam existimet,

§.XXI. Idem obtinet in aliis exemplis , v. gr. si quis præcepti divini universalitatem ita impugnet : *Quodcumque preceptum omnibus hominibus non est datum , illud non est universale , Atqui præceptum , v.gr. de adulterio capitaliter puniendo, omnibus hominibus non est datum , E. nam hic etiam Respondens factam omnibus hominibus promulgationem, merito probare debet.*

§.XXII. Est tamen notandum , quod ut plurimum OppONENTI rationes, per quas res negata, v.gr. *probabilitio & universalitas*, probari solet, sint notæ , hinc & ipse eas producere ac refellere , atque ita negationem suam confirmare potest. Quod si vero rationes incognitæ, vel plures sint , tum in primis Respondenti eas indicare incumbit.

§.xxii.

**§. XXIII.** Poterat quidem hic à necessitate probandi semper immunitis videri, quod Opponens sibi imputare debeat, quod talem assumserit rationem, quam probare nequeat. Verum cum finis disputationum sit inquisitio veritatis, & sæpe Opponens, in primis in rebus moralibus, non aliter, quam negando fundamenta adversæ sententiæ, incedere queat, hinc merito ex hypothesi finis præstituti, Respondentem ad suscipiendam probationem obstricatum pronunciamus.

**§. XXIV.** Necobest, si quis regerat, veritatem esse inquirendam per disputationem, non informationem, cui adeo medio se conformem debeat gerere Opponens, alioquin nihil affarentem vel probantem, merito negligi. Nam qui negando fundamenta adversæ sententiæ sollicitat, is quoque regulis disputandi se attemperasse cenc-

censendus est, hinc Respondens pugnam declinare nequit.

• §.XXV. Porro nec id obest, quod veritas perinde obtineatur, sive Respondens probet, sive non, cum thesis ejus non tantum vera censeri debeat, si rationem Opponentis refutet, sed et, si hic nihil contra eam afferre queat.

Nam haec levis & exiguâ præsumtione suffulta veritas est, in qua adeo non est acquiescendum, sed ferente occasione, ulterius procedendum.

§. XXVI. Sed pergamus in adducendis Opponentis erratis vel fallaciis; si igitur contra regulas c. pr. §. 59.60.61.62. datas, varia congerat ac misceat, urgendus erit, quo haec in brevem summam, vel etiam Syllogismum colligat, si plura quam parerat, adducat, orandus erit, ne sua liberalitate nos obruat.

§. XXVII. Amplius si loco probationis aliud afferat, inconcinnitas hujus

jus ausus ostendenda est, monendumque Opponens, quo vel novam rationem differat, vel priorem dimit-  
tat, *si aliud probet*, nostro petito fa-  
tisfacere rogandus est, *si soluto di-*  
*scurfu utatur, cum rectius per Syllo-*  
*gismum res expediri queat*, hunc vel  
**exigat Respondens** vel ipse conficiat.

§. XXVIII. His peractis, si Re-  
spondens, contra regulam c. pr. §.  
63. *probationem non recte repeatat*, suc-  
currere ei debet Opponens, & qui-  
dem eo modo, quem neglectus iste  
meruerit. Si peccet *non responden-*  
*do*, vid. §. 64. d.c. tum quidem ab op-  
ponente juvari nequit, sed discat  
imposterum respondere.

§. XXIX. Si non afferat responsio-  
nem, sed probationem sue theseos, si-  
ve ea à ratione desumpta sit, si ve ab au-  
toritate, quale exemplum exhibet  
Weisius in Log.p.2.l.4.c.2. §. 25. tum  
iterum urgendus est, quo officium  
dispu-

disputatoris observet, vid. Thomas. in philos. aulic. c.15. §.14.20. Quod si denique vago aut obscuro discursu ad objectionem respondeat, tum juxta ea quæ diximus c.pr. §. 65. seqq. responsionis explicatio & applicatio petenda est.

§.XXX. Debet etiam Respondens in hoc conflictu cavere fallaciam opponentis , hic enim sæpe plures medios terminos, diversæ omnino indolis & efficaciæ , ita ut unius intuitu, propositio major, alterius vero, minor negari queat, conjungit. Huic igitur non aliter occurrere poterit, quam si medios terminos separet , ac ad singulos sigillatim respondeat.

§.XXXI. Post datam responsionem, Opponens impingere solet, illam non rite repetendo , vel non recte contra eam excipiendo, de quo c.pr. §. 126. seqq. dictum, tum igitur ad debitos

tos limites revocandus est, maxime si appareat, eum efficacia rationum constrictum, effugia sophistice quærere.

§. XXXII. Si autem otiose dictare petat Opponens, contra §. 131. d. c. ostendendum ei, quod iis jam sit satisfactum, si veteribus nova permisceat, contra regulam §. 132. c. pr. datum, confusio illa detegenda, si denique ad nova transeat, facta novitatis dissimulatione, hæc a Respondente indicanda, ceu jam admonitum c. pr. §. 132. 133. 134.

§. XXXIII. In continuatione aetius disputatorii, ubi longius à prima thesi discessum est, tam Respondens quam Opponens, duplicitis erroris vel fallaciæ reus fieri potest, vel si à scopo revera discedant, tum igitur aberrans in viam revocandus est, vel si se à scopo dilabi, ex imprudentia vel calliditate, causentur, tum conexio

nexio ultimi discursus cum thesi principali ostendidebet, *add. Thom. philos. aul. c. 15. §. 18. 19.*

§. XXXIV. Has igitur cautelas si disputantes observent, is qui officium negligit, facile in ordinem redigi, ac disputatio dextre continuari potest, ubi vero uterque officium negligit, tum existunt vanæ Andabatarum concertationes, quæ, in primis si neglectui illi, materiae disputandæ ignorantia accedat, cordatis Auditoribus molestissimæ, imo intolerabiles sunt, si scilicet ab iis instituantur, qui non Tirones, sed artifices esse volunt.

§. XXXV. Cæterum quo præcepta hactenus exposita vel similia, effectum habeant, frequens exercitatio, quam exemplis disputationum tam perperam quam legitime habitarum, illustravit Weisiūs *in Log. P. 2. l. 4. c. 6. 7.* accedere, atqui ita habitus ac-

acquiri debet, nativa tamen mentis bonitas, ut alibi, ita hic etiam, præsupponitur, nam sine hac labor irritus est, sicut è contrario vivax iudicium sibi ipsi fere sufficit, ac doctrinæ defectum facile supplet.

§. XXXVI. Magnam autem disputationum, viva voce instituendarum, esse utilitatem, prolixè fortassis probandum non est, nam disputantes èdem opera & thesin, & ejus defensionem & oppugnationem cogitare, adeoque animo præsente, cauto, omniaque circumspiciente esse debent. Hinc cogitationibus attentis ac ordinatis (in quibus cognitionis humanæ summa consistit) excitandis nihil actu disputatorio, legitime instituto, videtur aptius.

§. XXXVII. Supereft, ut juxta indicium *cap. præc. §. 9.* hactenus dicta ad disputationes scriptas breviter applicemus. Nimirum illa omnia,  
quæ

quæ de legitima contradictione e-  
jusque continuatione nec non de  
fallaciis & erratis disputatoriis, eo-  
rumque præcautione diximus , in  
scriptis etiam disputationibus lo-  
cum inveniunt.

§. XXXVIII. Porro licet per Syl-  
logismos , scriptæ concertationes  
non inchoentur vel continentur,  
sed soluto potius discursu omnia pe-  
ragi soleant, attamen nec Syllogismi,  
nec interrogations & responiones  
penitus exulant, sed pro re nata, o-  
stendendæ rationum emphasi, recte  
adhibentur.

§. XXXIX. Curialia autem illa,  
quæ disputationes coram habitas,  
comitari solent, à scriptis abesse, pa-  
lam est, sicut etiam argumentorum  
assumptio, probationis exactio, datio,  
repetitio, similiaque in his non adeo  
obtinent, cum integrum sententiam  
concertantes ut plurimum propo-  
sue-

suerint. Interim Curialium loco  
alia afferri solent, quæ, prout visum  
est, de susceptæ concertationis ne-  
cessitate vel fœditate testantur, ceu  
quotidiana experientia hæc satis  
confirmat.

§. XL. An vero quis scriptam di-  
sputationem inire, vel hoc facto,  
scriptis scripta addere possit, quod  
movere voluit *Dn. Thomas. in der  
Ausübung der Vernunft-Lehre/*  
*c. 5. §. 48. seqq.* ea non logica, sed mo-  
ralis vel decori quæstio est, quæ per-  
petua definitione decidi nequit,  
hinc prout quis sua vel publici in-  
teresse existimaverit, ita nunc cala-  
mum expediet, nunc tacebit, nec te-  
mere, prout in ejusmodi quæstioni-  
bus lubricis fieri solet, deerunt rati-  
ones, quibus, sive scribere sive silere  
velit, factum suum tueatur.

CAP.

## CAPUT XVIII.

DE  
**HIS QUÆ VULGO  
 AD LOGICAM REFE-  
 RUNTUR, NEC TAMEN  
 EO PERTINENT.**

## §. I.

**A**bsolvimus ita Artem cogitandi, prout eadem instruenda esse nobis videtur. In dictorum illustrationem & confirmationem addemus duo capita, *c.i. §. fin.* promissa, & primo adeo recensemus ea, quæ haut recte ad artem cogitandi systematicè suppositam (prout sane eam supponunt illi, qui aliena eidem infarciunt) referri arbitramur.

**§. II.** Generalis definitio est, *ca-  
 omnia que mentis humanae operatio-  
 nes non concernunt, extra sphæram  
 artis cogitandi constituta esse, adeoque  
 perperam illi inmiseri.* Hoc uti  
hinc

hinc inde jam tetigi, ita nunc exemplis, quæ succurrent, plenius paulum declarabo, ex quibus de aliis, quæ adhuc forte occurrunt, facile judicari poterit.

§.III. In hunc censum ergo (1) referimus *Prædicabilia*, *Anteprædicamenta*, *Prædicamenta* & *Postprædicamenta*, prout nonnulli histerminis utuntur, *conf. Thom. Philos. aulic. c. 7.* nam illa omnia extra Logicam esse, eo argumento probatur, quod doctrina illa *res ipsas* consideret, dum scil. generales earum respectus explicat.

§.IV. Nec valebit exceptio, in *Logica agi de terminis simplicibus*, horum autem convenientiam vel repugnantiam in allata doctrina tradi, nec adeo eam à Logica esse alienam, *vid. Weis. Log. p. I. l. 3. c. I. §. 7. seqq.*

§.V. Nam uti difficulter probabitur, doctrinam illam intra limites  
S. ter-

terminorum simplicium seu primæ  
mentis operationis consistere, ita,  
hoc licet posito, nihil tamen inde  
vulgaris sententia lucratur, nam ipsæ  
solum mentis operationes, arbitra-  
riis exemplis declaratæ, ad Logicam  
pertinent, minime vero res, quibus  
illæ applicantur.

§.VI. Ut autem doctrina illa ab  
Arte cogitandi est aliena, ita, si in se  
spectetur, variis quoque defectibus  
eadem laborare videtur, de quibus  
nonnulla commemorabimus, non  
tam ut certum quid heic definia-  
mus, sed potius aliis ulterius cogi-  
tandi a usam suppeditemus.

§.VII. Illud adeo in genere nimis  
incongruum censeri debet, quod  
*scopus* doctrinæ modo indicatæ, non  
exprimatur, hinc Tirones sine judi-  
cio illa ediscunt, non intelligentes  
cui bono illa memoriæ mandent, e-  
go sane de me afferere possum, me  
nun-

nunquam in scholis intellexisse, quid sibi velit doctrina de prædicabili- bus & prædicamentis, utut, perinde ac cæteri, omnia recitare noverim, nec dubito, quin omnium condisci- pulorum meorum eadem fuerit sententia.

§. VIII. Merito igitur sub initium inculcandum est, quod animi di- fcentium generalibus rerum conce- ptibus ideo imbuantur, quod illi in singulis fere disciplinis specialibus occurrant, materiæque propriæ a- ptentur, adeoque generalior cogni- tio suo usu non destituatur.

§. IX. Postea id etiam cognitionem confusam, disciplinarumque defectum arguit, quod generales illæ rerum considerationes per Logicam & Metaphysicam distrahan- tur, nam illas una serie debere pro- poni, res ipsa loquitur, nec diffiteri potuit Jacob. Thomasius *in prefat.*

*Metaphys.* in fin. & l. 25. qui tamen, cum velut sectarius affectus sequatur, de emendatione hanc fuit sollicitus,

§. X. Denique id merito reprehenditur, quod generales illæ considerationes apte satis non connectantur, sed potius ita omnis doctrina instruatur, ac si nova plane objecta sistantur, cum tamen semper eadem res, alio saltem considerandi modo occurrant, hoc ergo dum perspicue non ostenditur, animi dissentium vel falsis, vanisque conceptibus inquinantur, vel saltem à vera penitiorique cognitione abducuntur.

§. XI. In specie in doctrina *Præcabilium* aliquid deficere & abundare videtur, cum enim omnes res quæ intellectui offeruntur, vel ut *principales* aut per se subsistentes, vel ut *accessoria*, quæ ad alias consti-  
tuendas

tuendas concurrunt, se sistant, hinc liquet, universales conceptus qui inde formantur, esse duplicis generis.

§. XII. Vel enim concipimus res principales, quæ universalia, nomen *Generis & speciei* gerere possunt, quamvis, ne quid diffiteamur, appellatio illa non tam *universalitatem*, quam *subordinationem*, quæ inter universalia occurrit, notet.

§. XIII. Vel concipimus res accessorias, quæ universalia, nomine *Esfentiae & Accidentis* exprimere licet, nam quævis res, quæ rationi humanae patet, duobus illis constat, hinc omnes conceptus universales, qui circa aliquam rem formantur, ad illa duo capita redigi possunt.

§. XIV. Harum divisionum omissionem, defectui annumeramus. E contrario inter Prædicabilia abundant *Proprium & differentia*, nam il-

lud est Accidens, ex eo vero, quod certæ rei sit proprium, prædicabile perinde non est asserendum, atque ex eo, quod pluribus subjectis sæpe idem conveniat, commune non asseritur. Interim non repugno, quo minus varia Accidentis habitudo, ac in specie, quod illud proprium vel commune sit, recte explicetur.

§.XV. *Differentia* porro peculiare quid non notat, sed potius *essentia & accidens*, in relatione ad alia subjecta, id nominis fortius, dum enim per essentialia & accidentalia certum aliquod subjectum constituitur, eadem opera, illud per hæc ab aliis discernitur, unde *differentia nomen* existit.

§.XVI. In doctrina *Anteprædicamentorum*, sive de *Univocis, equivocis & Paronymis* tricas etiam comprehendere licet. Nam illa & ista ad Universalia seu Prædicabilia merito erant

rant referenda, quia diversus prædicandi modus in univocis & æquivocis amplius ostenditur; *Hæc vero ad singularia seu Individua ulterius explicanda pertinent.*

§. XVII. Nam circa hæc, *concretum & abstractum* considerari possunt. Porro quid *denominativum*, quid *forma denominans*, quid *denominatum* sit, eodem respectu inculcari potest, quamvis, ut verum fatear, in ultima illa minutiarum confectione, nulla eruditio consistat, sed ad pueros exercendos eadem pertineat.

§. XVIII. In genere autem in tota hac doctrina, pro insigni haberi debet ineptitudine, quod *res & verba* permisceant; Logica ex vulgari quidem hypothesi, de rebus tantum, debebat esse sollicita, sed vulgo ita vagantur, ut nunc de rebus nunc de verbis agant.

S 4

§. xix,

**S. XIX.** Nam fere nihil nisi *voces* loquuntur: Concretum est *vox* &c. abstractum est *vox* &c. univocum est *vocabulum*, & ita porro, *vid. Jacob. Thomas. Log. c.3.* atqui de rebus ipsis carumque generali consideratione erat quæstio, voces vero Grammaticæ erant relinquendæ!

**S. XX.** Sed illa exempla, utue *voces* saltem loquantur, de rebus tam en etiam possunt intelligi, at quæ de *equivociis casu factis* dicuntur, illa, si non semper, certe sæpe ad *voces* tantum pertinent, nam, v. gr. *inter legem & offam*, nihil, nisi *nomen iustis*, commune videtur.

**S. XXI.** Circadocrinam *Prædicamentorum* nonnulla admonuit Author *art. cogit. p. 1. c. 3.* quæ aliorum iudicio relinquimus. Nobis duæ considerationes heic videntur esse confusæ, vel saltem, non satis, prout par erat, distinctæ, quod adeo inter de-

desiderata merito primo loco retuleris.

§. XXII. Nimirum Prædicamenta possunt spectari, (1) ut classes rerum singularium, quæ intellectui humano se sistunt, (2) ut subordinationes rerum singularium, & conceptuum universalium , inde juxta diversos gradus factorum. Utroque respectu errata nonnulla occurrere videntur.

§. XXIII. Nam primo respectu Prædicamenta rebus omnibus non sufficiunt, quod vulgo etiam agnoscunt, quando terminos transcendentiales loquuntur , cur ergo hic defetus consulto retinetur ? an magis Aristotelis , quam veritatis est habenda ratio ?

§. XXIV. Classes igitur generales sic potius constitui possunt, si dicamus Res omnes esse vel *Deum*, vel *res factas*, has vero iterum esse *naturales, artificiales & morales*, quarum-

überior explicatio ex disciplinis propriis peti debet.

§. XXV. Gravius erratum eodem respectu commissum videtur, quando res illas singulares, *substantias* & *Accidentia* dixerunt eo sensu, quasi certæ res perpetuo illud, aliae vero hoc nomen gererent, nam hoc admisso, nondum ostendi potuit aliqua substantia, *vid. Weis. Log. p. 1. l. 3. c. 5. Thomas. Phitos. aulic. c. 7. §. 18. seqq.*

§. XXVI. Dicendum igitur potius, denominationes illas esse ambulatorias, ac afficereres saltem ex certa suppositione, adeoque omnes res (Deo excepto, nam de hoc semper seorsim agendum est) pro diverso respectu esse vel *substantias* vel *accidentia*, seu, ut alii philosophari manunt, representari nobis aut menti nostræ, vel tanquam *res*, vel tanquam *reinodos*, vel tanquam *res modifica-tas*, *vid. Aut. art. cog. p. 1. c. 2.*

§. XXVII.

§. XXVII. Sic homo dici poterit *substantia*, ratione v. gr. valet ydiniſ vel etiam vestium, quibus induitur, sed si ipsum dicas *accidens* ratione totius macrocosmi, non, puto, errabis. Sic vestimentum, substantia et titulum tueri potest intuitu eorum, quæ ornatus gratia ei adjiciuntur. Contractus ratione hominis, est accidens, sed intuitu Scripturæ, quæ probationis gratia conficitur, pro substantia recte habebitur, & sic in cæteris.

§. XXVIII. Ex quo etiam liquet, nobis haut obesse, si quis in re, quam substantiam dicimus, v. gr. in homine, varia accidentia docere velit, nam ea non negamus, nat sufficit, quod ab illo respectu abstrahamus, & totum hominem, inclusis etiam objectis illis accidentibus, juxta respectum suppositum, pro substantia habere possumus.

§. XXIX. Est adeo substantiæ & Accidentis, fere eadem explicatio, quæ v. gr. Totius & Partis, nam sicut hæc pro diversa suppositione diversimode accipiuntur, & v. gr. manus pro parte habetur ratione totius hominis, pro Toto autem, ratione digitorum, ita etiam illæ ex hypothesi significant, ceu ex hactenus dictis constat.

§. XXX. An vulgaris Accidentium numerus sufficiat (quæ consideratio ad primum respectum v. §. 22. adhuc pertinet) corumque specialior explicatio recte se habeat, id aliis indagandum relinquimus, nam illæ aliaque in hac tractatione occurrentia, nunc persequi nec libet nec licet.

§. XXXI. Juxta secundum respectum, vid. §. 22. id recte se habere non videtur, quod subordinatio individuorum, specierum & Generum,

rum, à tractatu de Prædicabilibus s.  
Universalibus, fuerit sejuncta, cum  
tamen evidentissime cum eodem  
cohæreat.

**§. XXXII.** Nam circa Universalia,  
quæ ex singularibus, mediante com-  
paratione & abstractione, ab intelle-  
ctu formantur, spectari potest di-  
versa prædicandi ratio, quo referen-  
da doctrina de univocis & æquivo-  
cis, deinde singularium & Universa-  
liam subordinatio, quod in Prædi-  
camentis vulgo faciunt, sed ista di-  
stractione discentium animos à pro-  
piori cognitione abducunt.

**§. XXXIII.** Id addo, accuratam &  
adæquatam subordinationem in Di-  
sciplina aliqua generali vix fieri pos-  
se, cum accuratam rerum singulari-  
um notitiam requirat, adeoque re-  
stius eam specialibus Disciplinis re-  
linqui, ut scil. Hæ in materia pro-  
pria eam faciant, prout utile & ne-  
cessa-

cessarium id fuerit visum. Hinc etiam vulgares scalæ Prædicamentales, de rebus physicis confectæ, plerumque recentioribus Physicis vāpulant, de moralib[us] vero aliisque pluribus rebus nullæ conficiuntur, & si hoc fieret, dubio procul in multis, ludibriū peritioribus essent debituræ.

§. XXXIV. Circa postprædicamenta, genuina, à penitiori rerum cognitione desumpta, connexio, cum reliqua doctrina merito desideratur, alioquin vel solum Postprædicamentorum nomen Tirones incepto aliquo præjudicio inficere potest. Numerus igitur quintarius postprædicamentorum, vid. Ullman. Loc. l. t. c. II. merito etiam exploditur, cum connexionem impeditat.

§. XXXV. Forte etiam nonnulla falsa intercurrunt, v. gr. quæ de sex motus speciebus dicantur, de quo Phy-

Physici distinctius judicent, nec tricæ inutiles plane exulare videntur, nam cui bono in hac doctrina etiam *τὸ Habere* inculcetur, id sane non liquet.

§.XXXVI. De doctrina igitur vulgaris prædicabilium & Prædicamentorum cum connexis, ita generaliter pronunciari posse videtur, (1) ad Logicam illa non pertinet, (2) sæpe fallit vel tricis laborat, (3) modus docendi à penitiori cognitione abducit.

§.XXXVII. Interim cum generalis illa rerum consideratio usu suo non careat, ceu jam §.8. indicatum, ideo si quis eam in Disciplina propria, cuius indolem capite sequenti delineabimus, velit exequi, magis ordinate & adæquate id omnino faciendum fuerit, id quod ex dictis aliquo modo colligi potest.

§.XXXVIII. Nimirum de rebus in

in genere earumque classibus generalibus primo philosophari liceret juxta ea quæ dixi §. 24. rejectis classibus Aristotelicis, nam præjudicium ex his haustum, veritati vim infert. Postea ostendi posset, quomodo ex singularibus, conceptus universales formentur, adductis iis, quæ ad utrumque explicationem amplius pertinent, secundum indicium, §. 11. seq. §. 31. 32. 33.

§. XXXIX. Deinde ambulatorii illi respectus, juxta quos eadem res modo substantia modo accidens est, tractandi forent, cui tractationi addendum, quicquid vel in Postpredicamentis, vel in tota Metaphysica vulgari habetur, resectis tamen tricis otiosis. Sed illam curam aliis relinquimus. Qui judicium & attentionem afferet, ac veritatem magis, quam Aristotelem & Sectam amabit, is in adornanda hac tractatione recte versabitur. §. XL.

§.XL. De utilitate autem ejusmodi laboris non videtur dubitandum, nam nulla Disciplina specialis est, in qua non de *substantia & accidente, causa & effectu, principio ac principiato,* & ita porro, agatur, hinc generalis horum cognitio merito præquiritur.

§.XLI. Ad obtainendam tamen illam utilitatem minime requiritur, ut speciali tractatione generalis illa doctrina, ad materiam cuivis Disciplinæ propriam, applicetur, &, si Diis placet, *Philosophia Theologica, Juridica* aut *Medica* concinnetur, nam qui in genere novit, quid v. gr. *causa & effectus* sit, is ad materiam suæ Disciplinæ, illa ultro & sine difficultate applicare poterit.

§.XLII. Hinc labor nimis puerilis fuerit, applicationem illam speciali opere docere, perinde sicut ineptum est, ei, qui pedibus suis generaliter

ter uti novit, ostendere velle, qua ratione in hac aut illa platea incedere debeat. Interim similes habent labra lactucas, & multi, inter imperitos, cum ipsis quisquiliis, magni sibi videntur Philosophi.

§.XLIII. Sed ut ad propositum revertamur, ad Logicam (II) male nobis referri videntur quæ *de nomine & Verbo, de vocum suppositione, de Oratione à nonnullis traduntur, vid. Ullman. Log. l. 2. c. 1. 2. 3.* ob rationem solennem, quod illa mentis operaciones, earumque indolem explicandam non respiciant.

§.XLIV. Nec obstat, quod Logica agat de enunciationibus, hæc vero ex nomine & verbo constent, nam Logica non corticem, sed rem ipsam secatur, hinc in enunciationibus, combinationem vel separationem, idearum expendit, verborum autem, quibus ista exprimuntur, cognitionem præsupponit. §.LXV.

§. XLV. Sermo igitur, quatenus de ejus genuino usu, ad *Grammaticam*, quatenus de venustate, ad *Rheticam*, quatenus de moralitate quæritur, ad *doctrinam moralem* per-  
tinet, regulas autem interpretandi, quibus ejus sensus investigatur, vel unaquaque *Disciplina realis* tradit, vel ex *generali aliqua* præsupponit, de quo mox iterum.

§. XLVI. Porro in Logica haut tollerandas putem (III) *Distinctiones*, quibus ad animi sensa eo commodius exprimenda uti solemus, qualis con-  
gessit Weisius in *Log.p.1.l.3.c.14*. nam & illæ, res concernunt, quia tamen in unaquaque *Disciplina speciali* aliquem usum præbere possunt, ideo earum explicationem in *Disciplina aliqua generali*, cuius indolem *cap. seqq.* delineabo, instituendam esse putem.

§. XLVII. Non minus expunge-  
rem

rem (IV.) *Locos Topicos*, cum ab aliis, tum in primis à Weisio P.z.I.I.c.4.seq. prolixè expositos, nam & illi generalē rerum considerationem spectant, dum per eos ostenditur, quārum circumstantiarū, in singulārum rerum consideratione, in primis autem in conficiendis orationib⁹ recordari debeamus.

§.XLVIII. Nec admitterem, (V) *Interpretationem*, quam Recentiores ad Logicam traxerunt, non sine multorum, factum hoc laudantium, applausu, vid. Thomas. *introd. ad philos. aulic. c. 15.* Ausübung der Ver-nunft-Lehre. c.3. §.19. seqq. Nam & hæc pro objecto habet certam rem, voluntatem scil. *dicentis vel scriben-tis*, adeoque dubio procul, cum hoc suo objecto, ad aliquam disciplinam realem pertinet.

§.XLIX. Nec difficile est, sedem propriam indicasse, nam v. gr. quæ Wei-

Weisius P. 2. l. 3. c. 1. 2. 3. 6. de Ordine rerum interpretandarum differit, illa ad Grammaticam & Rheticam pertinent, si pauca illa, quæ d. c. 2. de subiecto & prædicato, in propositionibus obscurioribus eruendo, dicuntur, excipias, hæc enim logica sunt, ac in tractatu de Propositionibus, locum suum habent.

S.L. Porro quæ de sensu per interpretationem eruendo, d. l. c. 4. docet, illa ad Philologiam, Theologiam & Jurisprudentiam spectant, possent etiam regulæ interpretandi generales in Disciplina generali, cuius jam aliquoties mentionem feci, proponi, quas deinde speciales Disciplinæ, pro ratione Objecti sui augerent.

S. LI. Quæ tandem de veritate per interpretationem eruenda commentatur, Id. d. l. c. 5. illa ad omnes Disciplinas pro ratione veritatis in illis

illis occurrentis; spectant. Sic in Jurisprudentia descriptorum juri-dicorum, in Medicina, de medico-rum, in Rhetorica, de Orationum ve-ritate (quale exemplum Weisius af-fert) agitur & ita in cæteris.

§.LII. Non obstat nostræ senten-tiæ si quis dicat, *interpretationem esse ratiocinationem, banc vero ad Logicam pertinere, nam est ratiocinatio, sed certo objecto applicata*, quæ ad Logicam non spectat, in hac solum ratiocinationis, aliarumque mentis operationum indoles, sine certo & peculiari objecto, explicatur. Alio-quin, si prior ratio valeret, in Logica etiam docendum esset, quomodo, e. gr. Medicus pillulas præscribere, vel Advocatus libellos confidere debeat, nam & hæc ratiocinatione expe-pediuntur.

§.LIII. Ex his etiam solvi possunt, quæ opposuit Dn. Thom. in phil. aut.

c.13.

c.13. §.I. ad Logicam omnino pertinere, rationes & modos, quibus quis verum sensum orationis obscuræ, absentis aut mortui, investigare, & à falso discerne-re possit ac debeat, præscribere, nam & hoc fieri ratiocinatione, at Logicam modos ratiocinandi suppeditare debere.

§.LIV. Nam Logica in genere, & sine peculiari objecto, ratiocinatio-nem exponit, hæc vero & volunta-tum obscuram, & alia objecta nan-ciscitur ac pro ratione eorum, regu-las & notiones sibi format, quo re-spectu ratiocinatio ad Logicam re-ferriri non potest, nisi velis omnes res & disciplinas in eam transfun-dere.

§.LV. Porro: *Logicam esse instru-mentum instrumentorum, doctrinam vero de interpretatione, usum suum diffundere in omnes partes Philo-sophiae, & Facultates superiores, maxime in*

*in Jurisprudentiam & Theologiam, d.*

I. §. 2. Nam exinde saltem sequitur, quod generalia interpretandi principia non incommode, in aliqua disciplina generali tradantur, non autem, quod illa explicatio in Logica fieri debeat, hæc enim, ut aliquoties dictum, ab Objectis realibus abstrahit, ac solam rationis indolem explicat.

§.LVI. Juxta hæc adeo Peripatetici nullam merentur censuram, quod materiam interpretationis in Logica omiserint, sive ex reverentia erga Aristotelem, sive ob aliam causam id factum sit, sed Recentiores potius Scriptores, qui eam Logicæ affricarunt, alicujus confusionis videntur esse rei.

§.LVII. In Logica etiam (VI) doceris non debet *cogitationum moralitas*, seu *Justitia & Utilitas*, vid. Thomas. *Philos. aulic. c. 4. §. 26. 27. 28. l. II.*

§.24.

§.LXIV. seqq. tiam norma moralitatis hic eadem est, quæ quoad alias actiones humanas occurrit, quæque in disciplinis moralibus ostenditur, cetero ostendit debet. Logica autem sine hoc respectu, cogitationes inspectatas, explicat.

§.LXXX. Amplius proprie, in Logica (VII) non esset agendum de Eruditione, videlicet Thom. introd. ad Log. c. 3. nam sicut cruditio ex variarum regrum contemplatione oritur, ita ex iusdem indolem exponere, dubio procul est, circa peculiare objectum, à cogitationibus humanis diversum, occupari, sed meditationes ejusmodi omnes à Logica alienas arbitramur.

§.LIX. Ulterius (VIII) de homine & mente humana, videlicet Thom. Philos. iulic. c. 3: introd. ad Log. c. 3. non agit Logica sed Physicā, in quo etiam Dn. Thomasus consentit, qui ideo

T

fal-

saltē tractationem illam Logicæ se  
inseruisse faretur in Philos. aulic. c. 10.  
§. 3031. quod aliorum philosophia  
sibi hac in parte non satisfaciat, nec  
tamen in tractatu proprio, senten-  
tiam suam exequi, sibi haecceus li-  
cuerit.

§. LX. Nabis etiam sufficiens ra-  
tio adesse non videtur, quæ (IX) de  
Prudentia medicandi scorsim in Lo-  
gica agi, vid. Thomas. Philos. aulic. c.  
11. & Logic. c. 1. jubeat, nam quæ de  
veritate meditationum dici possunt,  
illa cogitationibus omnibus sunt  
communia, & habent locum pro-  
prium, vid supr. c. 3. 4. si quis autem  
in cognita, vel ab aliis proposita  
meditari velit, tum sequitur ordi-  
nem seu methodum consuetam,  
quæ idem omnibus cogitationi-  
bus communis est, vid supr. c. 14. si  
vero rem incognitam meditationi-  
bus aggrediatur, tum nulla adest

mc-

methodus & fructus etiam hic prescribuntur præcepta, vid. supr. c.3. §. fin. c.14. §.7.

§. LXI. Idem dicendum (X). de Prudentia proponendi cogitatu, vid. Thomas Philosaulic. s. 12. Logiq. vel Ausübung der Vernunft-Lehre c. 2. nam & in hunc locum conjunguntur, quæ alio pertinent. Vel enim de methodo agitur, sed haec habet generalem Sedem in Logica, vel questionis iusti, de officio Docentis & Discentis, vel prudentie, de informatione prudenter facienda, proponuntur, quæ omnes ad doctrinam civilern, seu ad Jurisprudentiam, & Prudentiam presso dictam pertinent.

§. LXII. Quo loco obiter admovere liceat, quod, sicut Prudentia in genere, est habitus maxime incertus, ita etiam circa Prudentiam docendi vel informandi, non magnam

T 2 de-

depiciendere licet certitudinem. Hinc plus in informatione dextre peragenda valere videtur Docentis iudicium quam magna regularum moles, in primis cum plerumque ea, quae nobis placent, aliis velut praecpta summe necessaria obtrudere soleamus.

**S. LXIII.** Denique nec (XI) Prudentiam de aliorum sententiis Et scriptis judicandi, vidi Thomas Philos. aulic. c. 14. Log. c. 4. ad Logicam restulerim. Nam quo usque leges hic progredi permittant, id ex doctrina mortali intelligendum, quoniamodo dicitur: veritas sit crux, id est tractatu generali quem de hoc Logica suppeditat, patet. Ipsa vero dijunctio, si accurata esse debeat, in propria quavis disciplina suscipienda est, asperficariam autem Historia literaria tradere solet.

**S. LXIV.** In defensionem eorum, qua

quæ hactenus expunximus, forte quis generaliter afferet distinctionem Logicæ Docentis & Utentis, quam, alio tamen fine, proposuit Weisius in *Logic. Conclus.* §. 3. p. 574. Verum ea nihil lucrabitur, Nam Logica Docens, saltem systematicè excolitur, & cum hæc mentis operationes tantum proponat, hinc materiæ antea notatae & similes, ab eadem merito exulare debent.

§. LXV. Logica vero Utens tam late patet, quam ipsa ratio, hæc enim, si habitum illum, quo suas operationes eadem intelligit, acquisierit, eundem ad omnes disciplinas speciales secum adducit. Sed hæc Logica systematicè non proponitur, ergo ad eam materiæ antea relatæ referri non possunt, quodsi autem illa in systema redigenda esset, tum omnes omnino Disciplinæ, in eam forent transfundendæ.

T 3

§. LXVI.

§. LXVI. Ex hac autem confusione  
ne uti mirum Chaos futurum esset,  
ita, eo admisso, non tantum materias  
modo nominaret, sed & aliae omnes  
ad Logicam referri deberent. Ex  
quo adeo liquidum est, ut si modo  
Logica supponatur, nullam adesse  
rationem, cur egestas antea materias  
eisdem reddere debeamus.

§. LXVII. Si ita causam factæ con-  
fusionis inquiritantus, videant illa ab  
aliorum Disciplinarum defectibus  
dependere, cum enim multa notata  
digna deprehensa sint, nec ratione il-  
la in Disciplinis Propriis fuerint re-  
perta, hinc existimatam forte fuit,  
ad Logicam tandem recte re-  
ferrit.

CAR.

CAPUT. XIX.

DE

HABITU DISCIPLI-  
NÆ GENERALIS, PRÆTER  
LOGICAM, AD EXCOLENDAS  
DISCIPLINAS SPECIALES,  
NECESSARIÆ.

§. I.

**D**E defectibus omnium Disciplinarum differere, animus non est, de generali Disciplina saltem nonnulla commemorabo, cum enim multa ex Logica expunxerim, quorum tamen cognitio utilis est, nec ad specialem Disciplinam illa commode referri possunt, idēo, præter Logicam, omnino aliqua Disciplina generalis, ad excolendas speciales, necessaria videtur, cuius habitum adeo, in præcedentium confirmationem, breviter delineabo.

§. II. Dixerit aliquis, rem eodem

T 4

reci-

recidere, sive ea, quae hactenus sunt exclusa, Logice reliquantur, sive ex iis Disciplinæ generalis consiciantur, ad eque inutiles ejusmodi controversias posse omitti. Verum satius esse, disciplinas ita excolere, ut secundum ipsis, & cum scopo prôposito consentiant, quam ut sibi repugnant, nemo, qui veritatem amat, negaverit.

§. III. Ad scopum Disciplinæ generalis collimat Metaphysica, prout hodie tradi solet, & gloriantur Peripatetici, quod eadem, licet preter mentum Aristotelis, industria Scholasticorum in justâ scientia similitudinem fuerit elaborata, & ejus quidem a deo comite, ut, famula quæ esset, fateretur pro ipsa Régina potuerit habentius, a deo utilis, ut absque illa sperari vix possit solidam in ullo genere illustrium disciplinarum eruditus.

J. Thomas. in Histor. Metaphys. 35.  
§. IV. Enimvero uti fortassis Metaphy-

taphysica vulgaris, mensuram iustæ scientiæ, si rigidius examinetur, ne quidem in sua materia, implèt, secus ac persuasum est Peripateticis, ita eam scopum Disciplinæ Generalis, non attigisse, sed hanc alii adhuc capitibus constare debere, si in specialibus Disciplinis usum præbere debeat, plane existimo.

**S. V.** Mensuram Ejus recte constituemus, si dicamus, omne illud, quod ad res pertinet, nec tamen in aliqua disciplina speciali commode proponi potest, ad eam esse referendum, quod specialius paululum declarabimus.

**S. VI.** Primo igitur in Disciplina generali agendum esset de Eruditione, cum enim hanc ex omnibus Disciplinis specialibus acquirere intendamus, ejus cognitio merito prærequiritur. Interim rem ipsam ex-

T, equi

equi non libet, nonnulla tamen de eadem delibabimus.

**S. VII.** Ex sententia Dn. Thomas. in introd. ad Logic. c. 1. §. 1. Eruditio est cognitio, qua homo aptus redditur, ut verum à falso, bonum à malo recte discernere, siveque judicet, rationes certas vel probabiles reddere possit, ad propriam aliorumque hominum salutem temporariam & eternam, in vita cibili promovendam.

**S. VIII.** Circa quam definitiō nem hæc obſervamus, (1) eam esse specialem, nec cuivis eruditioni, prout illa in vita cooperatori supponi solet, posse accommodari, (2) cognitionem esse passim accipientiam pro notitia, nam si activo capiatur, tum est actus mentis, & eruditio ex cognitione oritur.

**S. IX.** Porro (3) quodad aptitudinem, à qua eruditio describitur, noſtandum, quod aptitudo verum con-

gnos-

gnoscendi, sit vel *naturale*, quæ à nativa intellectus bonitate dependet, vel *adscitum*, quæ ab eruditione oritur.

§. X. Nam si mens proprias actiones probe intelligat, easdemque juxta hanc cognitionem exerceat, (quæ ars ratiocinandi est) vel etiam aliarum rerum notitiam sibi acquirat, tum ad verum & falsum discernendam, in ea utique oritur proclivitas seu aptitudo.

§. XI. Ex quo liquet, ob eruditio nem, homines intelligendæ veritati non tam fieri *aptos*, nam hoc à natura est, sed potius *aptiores*, quod et iam definitio velle videtur, quando *aptitudinem recte discernendi*, lo quebatur.

§. XII. Denique (4) observandum, per aptitudinem discernendi & rati ones reddendi, non indicari eruditio nis finem, sed formam, sicut cum de-

rum eruditio adest; si quis verum à falso discernere ac rationes (in re scil. demonstrabili) reddere queat.

§. XIII. A Scopo igitur abluderet objectio, si quis contendéret, eruditio nem adest, sicut quis à nobis veritatis inquisitione, aut ab actuali rationum redditione abstineat, neque enim in hoc essentia eruditio nis collocatur.

§. XIV. Ceterum si variam Eruditionis suppositionem, quæ in vita communi occurrat, respiciamus, videatur ejus indoles commodissime explicari posse, si eam dupli sensu definitius. Nempe in significativa estiariori est variarum rerum notitia.

§. XV. Ast in strictiori magisque proprio, est variarum veritatans complexus, eo fine acquisitus, ut Deum recte colere, ac amorem propriam alteriusque debile exercere, atque fatum benevolentiam promovere & obtainere queamus.

§. XVI.

§. XVI. Oritur adeo Eruditio regulariter ex variarum rerum contemplatione, Medium vero, quo eam acquirimus, sustinemus & conservamus, est *Mens sive Ratio*, per hanc enim uti homines brutis praestant, ita eam ductoris instar a Deo illis datam esse, merito existimatur.

§. XVII. Colligit vero eruditio nem mens humana vel ex natura, risque quae inde amplius dependet, vel ex speciali revelatione divina scriptura. Illo respectu valde libera est, formatque sibi ex rebus oblatis ideas, prout illæ eas exigere videntur. Hoc vero in multis quidem illa non exultat. At vim nativam ad mysteriorum sphæram sequentiam exporrigere, profus agnoscere tenetur.

§. XVIII. Quo loco norandum, quod duo illa principia, *natura* & *revelatio* male confundantur, vel

etiam illa neglecta, ex hac uice omnis cognitio ubique repetatur, nam usi ista procedendi ratio plane absurdia est, si erga illos suscipiatur, qui revalationem non admittunt, ita ne quidem quad illos, qui eam venerantur, se simpliciter excusari potest.

S.XIX. Nam admissa illa confusio ne vel neglectu, alterum principium plane opponitur, que insignis erga Creatorem est ingratitudo, qui profecto rationem homini non frustra concessit, nec opus naturae et gaere illius contemplationi exposuit. Præterea si Christiani uice ex principiis sibi propriis philosophari assuefecunt, viam prius e principiis rationis hanc complanantes, tum concorditer cum aliis Gentibus preundis in alterum velut renunciare, cum ejus conciliandæ ita nullum possesse intium.

S.XX.

§. XX. Longe rectius igitur incogdimus, si primo exploremus, quo usque principia naturalia pertingant, ac iis deinde Christianis proprias addamus, sic utraque suus manet honor, & aliae gentes eo facilius ad hæc allici possunt, cum si ex iis solis, minus abrupte ac imperiose philosophetis, illæ perpetuo arceantur.

§. XXI. Ex dictis quadammodo colligi potest, eruditionem generalius suppositam pro diverso respectu esse diversam, nam (1) ratione objecti poterit distingui in *divinam* & *humaniam*, in *universalēm* & *particularēm*, (2) modi habendi in *solidam*, qua iterum pro captu materiæ certa & probabilis esse potest, *superficiam* & *falsam*, ultimo autem illa diversitas ex diversitate subjecti, principiorum & adhibitorum diligentie dependet.

§. XXII. Iapsimis (3) ratione finis distincti-

distinguitur in honestam, quæ ad amorem Dei hominumque dirigitur, vanam, quæ infra illum finem subsistit, & perniciosa, quæ amorem Dei & proximi lœdit. Omnes illæ species suos iterum admittere videntur gradus, id quod aliis indagandum relinquimus.

§. XXIII. Jam si quæras, quænam eruditio inter homines sit frequenter? pro superficiaria & falsa contra solidam pronunciandum erit, quod ab imbecillitate mentis humanæ dependet, si instes, quænam sit honoratioꝝ majoris pretii? tum pro vana & pernictiosa suffragium ferendum, quod ab illius malitia fluit.

§. XXIV. Dūdum enim vitiadꝫ virtutibꝫ triumpharunt, & perversa libique dominatur Philautia, ad hunc finem ergo quæ ducunt disciplinæ, illæ in pretio esse solent. Atque

quæ ex hoc capite ex plerumque etiam estimantur, quibus potentioribus adulari & eorum gratiæ ad reperire possumus.

§. XXV. Fatendum tamen est, quod sape eruditio ex principio non adeo bono profecta, probari debet, quatenus, postquam semel perversitas irrepsit, sine ea stationem suam tueri non licet, vel illam non ad inferendam sed repellendam laesionem exhibetur. Sicut etiam quævis eruditio curiosa & delectans, non statim *vane* est annumeranda, cum possit esse medium exercendi amorem proprium, cumque licet in aliis.

§. XXVI. Locus hic forte exigit, ne de libris Rètri Poireti, quos de Eruditione Solida, Superficiaria & Falsa Ille composuit, nonnulla dicamus. Quod ut eorectius fiat, primo Ejus sententiam breviter referemus, eadem inde propriam subjiciemus. *epicrisin.*

§. XXVII.

§. XXVII. Veræ igitur Eruditio-  
nis non aliun scopum esse posse exi-  
stimat, quam ut repræsentemus na-  
turam & regimen Dei nostri, prout  
is erga se, hominem & cæteras crea-  
toras sese gerit & repræsentat. Om-  
ninem igitur veram eruditioñem illa  
his constituendam censer, quæ in-  
stinctibus nostris eradunt, dejiciant  
& exterminant, quæcutaque illastri-  
tus Deo similes, minusque cum  
Proximis suis in Deo concordes red-  
dunt, nec non in eis, quæ simili-  
tudinem cum Deo intimation, con-  
cordiamque cum Proximis divinae  
æmulant, promovere & firmare ap-  
peasunt.

§. XXVIII. Brevius illa exprimi  
posse putar, si dicas, eruditioñem ve-  
ram amore Dei & proximi absolvit, ti-  
more vero Dei intibari, vid. lib. I. P. I.  
§. 2. pag. 6. edit. Hall. Quo igitur il-  
la Dei æmulacio clarius appareat, E-  
jus

jus indolem exprimit, dicendo Deum esse infinite perfectam, incomprehensibilem atque aeternam mentem.

¶ §. XXIX. Hoc est, talem, quæ non modo initio & fine existendi caret, sed & quæ realitates infinitas unitas semel actu, velut in puncto indistincto simul possider. Eundem quoque cum distinctis & veluti aliquo modo extra aeternitatis hujus indistinctæ considerationem punctumque indivisum sese respicit, in adorandum aliquid Trinum discerit, quod desiderio immenso atque vividissimo erga se suasque perfectiones, luminesca sui intellectione atque idea, acquiescentia denique & amore seu latitiae infinita (sive Patre, Filio & Spiritu S. Trinitate adorabilis) perficitur.

¶ §. XXX. Deinde docet : Deum, mentes humanas ita condidisse, ut ea-

carum essentialissima portio sit fundus vel recessus quidam immensus, sive intima nonnulla capacitas & aptitudo quædam immensa & infinita, quæ ipsam æternitatem, sive Deū æternum modo unito, simultaneo & indistincto vivide & plante mirabiliter, sine ulla successionis & pluralitatis distinctione & duratione, admittere, percipere, possidere valeat. *Paus. post.*: iste fundus animæ, est locus ideis vacuus, thorbus Deo æterno sacer, ejusque solius æternas impressiones suscipere aptus.

¶. XXI. Adjicit ulterius: mentibus inesse capacitates ad Numen reatas, puta *desiderium immensum* sive facultatem desiderandi Deum, immense divinique desiderii infiniti impremissiones & actus admittendi, *intellectum immensum* sive capacitem intima recipiendi intellectionem, sive lucem, sive verbum, ima-

imaginemque Dei luminosam, de-  
nique atquiescentiam seu facultatem  
immensam admittendi & possiden-  
di divinam acquiescentiam, dilecti-  
onem, lætitiam, spiritumque Dei ad-  
dorabilem cumque eo æternum de-  
liciandi, v.d.l. §.4.

§. XXXII. Atque hæ sunt mentis  
facultates superiores. His accesser-  
unt ex liberalitate Numinis, super-  
ficiariz capacitates, seu intellectus ac-  
tivus qui rerum ideis efformandis  
& continendis destinatus est, hic de  
Deo rebusque divinis nullam ideam  
vividam admittit, sed tantum dilutas  
steriles, mortuas & veluti externas  
& superficiarias ideas possidet.

§. XXXIII. Hinc periculose errant,  
(in primis quamplurimi Cartesiani)  
qui ideas de Deo rebusque divinis  
per rationis suæ actus efformatas,  
confundunt etiū lumen Dei vero  
ideisque vividis, quæ in intellectu  
su-

supremo per lumen verbumque  
Dei excitantur, nec non cum inspi-  
rationibus luminosisque Spiritus  
Sancti motibus, quibus divina sa-  
lutariter & solide explicantur, d. 6.

**S. 6. 7.** *de lumen. de spiritu. de lumen. de spiritu.*

**§. XXXIV.** Qui vero & Ratio suo  
modo, h. e. dilute & peradumbra-  
tionem sanctæ Trinitatis gerit ima-  
ginem (quæ & in omnibus rebus at-  
que ideis, nulla profusa excepta, de-  
versis modis depingitur) hinc in illa  
deprehendere est, *aliquid sciendi de-  
siderium, lumen seu intellectio su-  
perficiaria & acquiescentia,* & circa  
hanc quidem quidem sola, eruditio-  
nem veram versari vulgo produnt  
sed prave. d. 1. §. 8.

**§. XXXV.** Perficitur igitur homo  
complete, seu perfectione solidâ &  
essentiali, per divinas intimas & im-  
mensas sui fundi, desiderii, intelle-  
ctus, suæque acquiescentia capaci-  
tates,

tates Deo aeterno & Trinuo repletas, accidentariè vero per umbrabiles, superficiarias & limitatas facultates rationis, imaginationis, sensuorum, motuum & passionum, objectis suis tenui sculis & limitatis, ideis videlicet, figuris, coloribus & sonis, motibus & similibus affectas & non repletas, sed impulsas & tactas, in quibus tamen imagines potentiarum, sapientiarum & bonitatis Dei sui magis, quam ipsas sensationes ad se spectantes, homo curabat, d. L. §. 10.

§. XXXVI. His ita generaliter praemissis, deinde ostendit Poiretius, quomodo post lapsum, eruditio solidata acquiratur, possideatur & communicetur, d. L. §. 13. Scilicet à superioribus illis facultatibus, quae profuso Deo aeterno & immenso sunt factae, est inchoandum. Hic autem solus Deus eruditior, homo tamen ex preventione & impulsu Dei aliquid

quid ad hoc contribuere potest & debet.

§. XXXVII. Nimis (1) centralis & imminens amicorum sinceritatem, (2) profundissimam suarum abjectionem vel humiliationem, (3) inferiorum, quae ratione in & exteriora spectant, omnimodam (necessariis exceptis) desertionem atque secessum & sui totius, Deum versus collectio nem atque conversionem, *ad. s. 15.*

§. XXXVIII. Specialius ex parte facultatum superiorum, ab homine requiritur, (1) desiderium ardens, illimitatum, constans ac illeō confidens, ut nempe in prīmis confidat, se à Dei benignitate ea suo tempore obtenturam, quae iudicabit Deus ipsi ad solidam & salutarem erudititionem profutura; onus hanc ratione profeceerunt David & Salomon, *Ex. 1, §. 16.*

§. XXXIX. Porro (2) quoad intellectum

Ieclum requiritur, præteriorum eva-  
cuatio, quo purius & verius à fonte  
luminis lumen recipiat vel exspe-  
ctet, & ab activitate presenti & fu-  
tura abstinentia s. quies, nam intel-  
lectus divinior mere passive se habe-  
re debet ad objectum suum divinum  
& immensum, eum erudiens, illu-  
minans & replens, d.l. §. 17.

§. XL. Denique (3) quoad acquie-  
scientiam necessaria est, *acquiescen-  
tia indeterminata*, absolute se Deo  
erudianti & operanti tradens, & pa-  
rata dolori & inopiae, & ipsi coram  
mundo infamia acquiescere & subjici,  
h.e. vera patientia indui, d.l. §. 18. Ex  
parte autem facultatum inferiorum  
exigitur, ne superioribus impedi-  
mento sint, d.l. §. 19.

§. XLI. His positis, Deus mentem  
gradatim erudit, ejusque fundum  
immensum ad æternitatem Dei fa-  
ctum, sic sua afficit æternitate ut

mens revera elemento æterno immersi videatur. Desiderium, intellectus & acquiescentia imbuuntur, penetrantur & quasi condiuntur gloriose & deliciosa Dei Patris, Filii & Spiritus adorandi potentiis & virtutibus, unde mens ipsi Deo similis redditur, & hæc omnia experitur realitatibus eentralissimis & exaltissimis, ineffabilibus & captum omnem superantibus.

§. XLII. Hinc est, quod homines meri, quantumvis industria, eruditione humana (superficiaria & falsa) polleant, ad hæc plane cœcutiant, eaque parum abest, quin coram irideant, & pro figmentis plurimi traducant, haut secus ac oculis capti, si se solos consulant, quæ de modo cognoscendi per lumen & colores proferrentur, risu exciperent miseri, d. I. S. 20. 21.

§. XLIII. In hoc veræ eruditionis the-

thesaurus & cor est, sine hoc reliqua  
omnia sunt vanitas. Dum vero  
Deus mente in ita erudit, eo ipso  
quoque illi principia atque sensu  
solida infundit eruditionis, quae res  
alias spectat, idque sine rationis hu-  
manæ laboriosa investigatione, ac  
multo magis etiam sine chartarum  
humanarum, à seculi eruditis con-  
scribillatarum & commaculatarum  
ardiose evolutione & devoratione,  
*d.l. §.22.*

§.XLIV. Deus autem vel imme-  
diata eruditionem infundit, cuius  
rei exempla, *d.l. §. 23. 24. 25.* haben-  
tur, vel per solide eruditos eam  
communicat, qui ut certo dignosci  
possint, Deus animis desiderantibus  
& sinceris facile efficit, harmoniam  
enim eam inter veri Eruditoris vo-  
cem, discipulique sinceri sensum  
internum statuit, ut se inde vere af-  
fici sentiat eo modo, de cuius verita-

V 2 te

te in conscientia sua certus est,  
quemque ab errore discernit , uti  
Pastoris vocem discernunt oves à  
voce latronis, illamque hac rejecta,  
sequuntur, §.26.

§.XLV. Hactenus de acquisitione  
eruditionis solidæ. In possessione,  
eadem si spectetur, tum ejus vel ef-  
fectus vel partes vel consectaria  
sunt, omnium bonarum dispositio-  
num auctio , l.i.p.2. §.27. animæ  
tranquillitas & pax, (etiam cum ho-  
minibus, quanquam ubi bruti lapi-  
des in ejusmodi eruditum proter-  
vius & petulantius irruunt, à firma  
ejus consistentiæ soliditate vehe-  
mentius nonnunquam repelluntur  
& veluti tela in adamantinum im-  
pulsa scutum , cuspide refracto re-  
flectuntur & disjiciuntur,) §.28. gra-  
titudo & laus divini Numinis, §.29.  
solida à Deo dependentia ac humili-  
tas , §.30.31. futorum conting-  
tium

tium, maxime inutilium, neglectus,  
*d.l. §.32.*

**§. XLVI.** Communicationem eruditio-  
nis solidæ quod attinet, vere  
us quidem abiliter, ~~de munere docendi libenti-~~  
sponente & trahente, illud subit, voca-  
tionis vero divinæ certa sunt cri-  
teria, si ipse plus, quam pro se suffi-  
cit, veri bonique dotibus abundet,  
tum si ex luminosa hujusmodi a-  
bundantia nec sibi delectationem  
ullam capiat, nec aliis melior sibi es-  
se videatur, *l.l.p.3. §.33.*

**§. XLVII.** Sic ad docendum voca-  
ti vere Eruditi , factis seu exemplis  
suis dovent, *§.34.* quibus addunt do-  
ctrinam scriptis aut viva voce com-  
prehensam , quantum tamen fieri  
potest, quantumque eos cognosce-  
re datur, ab irrisoribus luminisque  
purioris hostibus prohibenda sunt  
sapientiæ verba, nec invitis aut præ-

judicio pertinaciter libenterque  
constrictis, obtrudenda est veritas,  
§. 35. imo nec cupidis, probabilitate  
tamen inconstantibus, sed solis si-  
dis, §. 36.

ad hanc sententiam, quibus  
adest fundi sinceritas, humilitas, se-  
rius à ceteris ad Deum recursus, de-  
siderii ardor, flexibilitas, constantia,  
spes, intellectus vacuitas & quies,  
acquiescentiae fortitudo. Ex his au-  
tem qualitatibus prima protinus  
actu adesse debet, ceterae si quoque  
statim adsint, utile est, si non, pru-  
densi Doctoris cura interveniente,  
sequi possint. §. 37.

§. XLIX. Medium communica-  
tionis facienda, verbis non absolvitur,  
ut vulgo putant, quod tot de di-  
vinis pariter ac humanis dissensiones  
ac sectæ, idem tamen principium  
scriptum vel dictum admittentes, o-  
stendunt. Hinc non in verbis sed in

in eorum qui verbis utuntur dispositione sensuum clavis quaeri debet, adeoque in divinis, v. gr. Deus tuum lumen sum in mente Auditoris excitat, quando docens & discens dant operam, ut divinae voluntati pareant.

§. L. Hæc est vera Scripturæ, divinique sensus ejus clavis, non autem millena nugamenta de critica, de linguis orientalibus, de legibus interpretationum. De naturalibus similia fere dixeris, eorum enim solidia & radicalis cognitio cum sine Deo haberi non possit, nec sine eodem, ac docentium & discentium debitâ habitudine, possunt communicari.

§. LI. Hinc patet, nil mirandum esse, quod veri eruditii, de rebus divinis nec non naturalibus solidius loquentes, non capiantur à vulgo, neque à falsis superficiariisve erudi-

tis, nec quidem ab incipientibus, bona voluatae præditis. Nec mirum igitur, si ab irrisoribus Criticis irrideantur & in ludibrium, coram ignaris, vertantur ea, quæ cætero-quin revera omnium divinissima, solidissima præstancissimaque sunt.

§. LII. Faciunt id quod cœci, si qui totam aliquam regionem inco-lerent, qui nunquam corporanis factu palpandique facultate perceperissent, quosque accederet oculatus, qui eos de corporibus per oculos te-cipiendis alloqueretur, hunc sermo-nesque ejus non intellectos, cachini-nis prœcul dubio exciperent, ipsi m!serimi risuque & comiseratio-ne dignissimi, d.l. §.38.

§. LIII. De cætero doctori vere erudito à divitis, tanquam maxime necessariis incipiendum, eaque dili-genter, etiam nonnunquam cum pertinaciæ discentium increpatio-ne,

ne, inculcanda, §. 39. nam solida eruditio se habet instar lucis à Sole emanantis , ad quam recipiendam omnis præparatio , & tantum non acquisitio consistit in remotione ob-  
staculorum, quæ illam ab oculis pro-  
hibeant, §. 40.

§. LIV. De dictionis nitore vel methodi rigore non valde sunt solliciti vere eruditi , §. 41. de cætero falsa & superficiaria eruditione delibuti, illos odio & mendaciis one-  
rant, quibus hi apologetas vel etiam silentium , patientiam ipsamque in inimicos beneficentiam opponunt. Veræ interim eruditionis studiosi per hæc à solidioribus informatori-  
bus se abduci non patiuntur, nec stolidæ credulitate ducti , de eorum do-  
gmatibus , ex adversariorum Criti-  
corum, utut cristatorum relationi-  
bus judicant , qui modus non me-  
diocriter juvit Poiretum, ut veras

doctores, etiam in sexu sequiori, invenerit, §. 42.

§. LV. Hæc de eruditione solidæ. Circa explicationem superficiariæ tales optat Lectores Autor, qui ad solidæ & permanentia mente sincera adspirant, ceteri abstineant, ni tadeat eos crepundia ac nugamenta sua videre de ponte dejici, l. 2. §. 1.

§. LVI. Superficiliaria autem eruditio, non plane debet contemni, sed habet suum pretium & usum, modo solidæ subordinetur, quemadmodum, v. gr. cura cutis non est improbanda, modo partium internarum cura non negligatur, sed cum hac potius illa conjungatur, §. 2.

§. LVII. Fundamentum autem eruditionis superficiariæ est *ratio humana seu intellectus activus*, quemadmodum solidæ fundamentum est *Deus in centro & facultatibus animæ*

mæ sinceræ beneque dispositæ operans, d.l. §.3.4.

§. LVIII. Esse vero eruditio[n]em intellectus activi, superficiariam, patet (1) ex ideis, quæ sunt velut umbræ aut imagines rerum steriles & mortuæ, d.l. §.5.6. (2) ipsa ratione, quæ facultas corruptissima, limitatissima, umbratilis nec non ita superficiaria accidentariaque menti creatæ est, ut ea hæc carere omnino potuisset, Deo quoque illa est ingratia, §.7. (3) ratiocinatione, quæ ratione ideisque adhuc imperfectior, §.8.

§. LIX. Neque vero ista rationis extenuatio, est Pyrrhonismi & Scepticismi restitutio. Substituuntur potius fundamenta inconcussa, lumen præcipue divinum, quo in specie Deus, sine ullo rationis examine, certissime percipitur, perinde sicut ille, qui ad solem oculos convertit, de eo ita certo persuasus est, ut ulte-

tior ratiocinatio, inutilis & nugatoria esset, d.l. §.9.10.

§. LX. Sunt quippe tria lumenum genera, *divinum*, facultates superiores mentis, intellectum præsertim *passivum*, feriens modis omniam certissimam, quando nullum impedimentum est interpositum, *externum* & *naturale* seu *sensuale*, quod etiam ubi ab objectis in facultates diffunditur, omnem dubitationem, de rei existentia & relatione ad vitam corporalem excludit, & *rationis*, tenui illud & veluti pictum, atque, in quo jam statu sumus, illorum trium incertissimum, d.l. §.11. quod prolixius deducitur, d. §.11.12.13.

§.LXI. In primis res naturales lumine divino certissime percipiuntur, quamvis, quæ Autor hic difficit, omnes non concipiant (cum de sexto quodam vel adhuc superiori naturæ sensu loquatur) adeoque ea risu-

risuri sint, sed rideant illum ista dicentem qui non intelligunt, ipse dolebit se ridentes, §. 14.

§. LXII. Non igitur favet Autor Pyrrhonismo, sed eum potius solide evertit, triplex lumen distinguendo. §. 15. De cætero veritas triplicis luminis, intima conscientia percipitur. In specie qui lumen Dei semel vere & pure senserunt, illi non tantum omni certitudine certiores sunt, seibi non falli, sed & cum postmodum aliquid eis occurrit, de quo quæritur, an ad divinum pertineat lumen, vel divine luminosum sit, tuto omnique procul errore, si sibi redditii sint, respondere illico possunt, §. 16.

§. LXIII. Certitudo matheseos non impedit, quo minus omnis intellectus activi eruditio, adhuc superficiaria sit, cum una hirundo non faciat ver. §. 17. nec illud obest Auto-

ris doctrinæ, quod ratio vel in sacris, vel à sanctis Scriptoribus commendetur, cum alio sensu tum illa accipiatur, §.18.

§. LXIV. Porro nec hæc sophismata rationem semper validam esse, quia id non sine ratione ostenditur, item nulla posse capi, ne quidem que de fide divina sunt, nisi per rationem, eamque humanam, si quidem nec bruta simus irrationalia, nec Angeli aut facultatibus angelicis gaudentes, obsunt, quæ diluuntur, §.19.

§. LXV. Nec etiam Autoris doctrina, usus rationis tollitur, sed potius firmatur, ille enim demum legitimus est, si à prima ætate, ratio ad lumen superius adducatur, §.20.  
21. hinc nemo etiam, nisi solide eruditus, scul lumine divino præditus, superficiariam recte communicare potest, §.22.

§. LXVI. Posito igitur, quod quis

ex Angelo illuminatissimo omnia, quæ de Deo deque rebus divinis & spiritualibus omnibus, de natura Spirituali, corporea, humana, deque toto universo sciri & exprimi possunt, discat, neque tamen se inde ad Deum elevet, ab eo desideraturus, ut is res ipsas, harumque originantes virtutes, in facultates suas passivas vivido lumine suo infundat, neque etiam fungatur officiis, quibus ex amplissima exactissimaque sua ideali scientia videt, sese erga Deum, erga proximos creaturasque teneri, sed tantummodo in bellissima illa rerum divinarum naturaliumque consideratione ideali subsistat, is demum agnoscendus est verus eruditonis superficiariæ possessor, §.23.

§.LXVII. De cætero late patet eruditio superficiariæ. Datur enim Theologia & Philosophia cum suis partibus omnibus, scilicet metaphysica,

sica, physica & ethica superficiaria,  
 §.24. est tamen & illa inter homines  
 rarissima, de cuius rei causis latius  
 disseritur, §. 25. seqq. quæ specialius  
 recensere jam non attinet.

§. LXVIII. Illud tamen prætere-  
 undum non est, quod Noster que-  
 relam, qua quis Theologiam Philo-  
 sophiæ misceri, forsitan quereretur,  
 impiam & absurdam putet, eamque  
 vix ab alio, quam ab aliquo Epicuri  
 de grege animalculo, Atheove Spi-  
 nozista, serio fieri posse, amplius ar-  
 bitretur, cum horrendum atque in-  
 dignatione, aut potius ingenti com-  
 miseratione dignum sit, hominem  
 usque adeo naturam exuere & spon-  
 te suaveluti in monstrum quoddam  
 transformari, ut tædio ipsi sit, Deum  
 in illis, de quibus serio agit, interve-  
 mire, §.30.31.

§.LXIX. Ipse contra censet rectis-  
 simis Theologiam Philosophiæ im-  
 misceri

misceri cum, (1) Deus omnium rerum sit causa nosque perpetuo circumcingat, §. 31. (2) uti præter lumen rationis, sensuale admittit Philosophus, ita etiam divinum admittere debeat, d.l. §. 32. (3) cum philosopha nequeat, nisi ad theologica respiciat, perinde sicut pictor picturam efficere nequit, nisi ad rem ipsam archetypumque oculos convertat, §. 33. denique (4) ratio per revelationem divinam adjuyetur, §. 34. 35. 36.

6. LXX. Eruditio superficiaria non patitur se in statu suo mere superficialiatio possideri, sed ab eo vel in falsam transit, vel ad veram evanescit & pervenit. Etenim vel mens in superficiaria illa eruditione non subsistet, sed ex idealibus notitiis ad Originale sumnum elevabitur, ab illo & Ejus & Creaturarum suarum nobis necessiarum solidam com-

mu-

municationem petitura, illis modis  
viisque, de quibus in libro primo  
egimus, atque sic ad veram solidam-  
que eruditionem ita est.

§. LXXI. Aut vero in eadem su-  
perficiaria terminabitur, omittet-  
que id ipsum, quod jam faciendum  
dixi. Et in hoc casu primum tene-  
bris, dein erroribus, tandemque in-  
fania percellitur ita mens, ut ejus o-  
mnis eruditio præcedanea prorsus  
falsetur, et si quam deinceps acqui-  
rit, eam falsam esse omnino necesse  
est, destituitur siquidem solido fun-  
damento, omniumque rerum radi-  
ce & nutriente succo, Deo nempe  
et iusque vitalibus effluviis, quapro-  
pter omnino emarcescat, oportet,  
l.3. §. 1.

§. LXXII. Omnis igitur eruditio,  
quæ à scopo vero, jam indicato, abit,  
falsa est, §. 2. 3. 4. 5. accedunt alia, ad  
eandem formandam & statum inan-  
dam

dam facientia, qualia sunt (1) ipse modus animos teneros ab inveniente ætate erudiendi, (2) materiarum seu documentorum, quibus imbuuntur falsitas, (3) Magistrorum conditiones, (4) instrumenti denique sui, sive rationis corruptio. §. 7. quæ sigillatim Noster per totum librum tertium persequitur, quæ pluribus referre non opus, cum de fundamento & habitu doctrinæ Ejus ex his fatis constet.

§. LXXII. Hæc est adeo sententia Poireti, bona fide ac ipsissimis Ejus verbis plerumque relata, de qua si judicium interponendum sit, juxta monitum, §. 20. tunc breviter dicere: *Enthusiasmum fanaticum, i.e. integræ mentis deliria, ipsi esse eruditionem solidam, notitiam humanam, seu naturalem, ad Enthusiasmum adduci aptam, eruditionem superficiariam, ab Enthusiasmo vero alienam,*

pa-

*potissimum eruditionem falsam.*

§. LXXIV. Fuit alias Poireto Enthusiasmus à Clerico aliisque impate de quo ille in epistola ad Autorem Bibliotbecam, &c. aliis apologeticis, tractatui de erud. solid. &c. adjuncta est, §. 6. p. 496. ed. Hallens. agit. Jure an injuria, jam disquirere, animus non est, id saltem contendō, Poirettum in libris *de eruditione*, iisdemque præmisso de methodo vera inveniendi verum tractatu, enthusiasmi fanatici esse manifestissimum.

§. LXXV. Est tamen distincte hic incedendum, nam vera vanis miscuit. Quando contendit, *eruditio-*  
*nem veram amore Dei & proximi*  
*absolvi juxta indicium §. 28.* id merito admittitur, quamvis, si amor ille,  
*eruditiois legitimæ, scopus ultimus*  
*& præcipuus statuatur, res planior*  
*fit.*

§. LXXVI.

§. LXXVI. Sed distinctio mentis humanæ, in intellectum *passivum* & *activum*, §. 29. seqq. fanatica est, mens enim ordinarie est facultas activa, de quo mox uberius differemus. Expungendum igitur quoque est, quando à facultatibus superioribus seu intellectu passivo, in acquirenda eruditione solida, inchoandum esse. Idem censet, §. 36.

§. LXXVII. Quæ porro differit de pietate, quæ eruditionem acquirendam antecedere debeat, §. 37. 38. 39. 40. illa possunt admitti, si ad legitima acquisitionis media referantur, ast cum ad eruditionem inspirandam ex intentione Poiretti pertinuant, pietas illa utique fanatica & improbanda censi debet.

§. LXXVIII. Cor autem entusiasmi Poirettiani consistit in *infusa* & *erum divinarum & humanarum eruditione*, quam retulimus, §. 41.

42. 43. 44.

42. 43. 44. quod ut eo rectius probem, breviter primo meam sententiam præmittam.

§. LXXIX. Nimirum ad acquirendam eruditionem solidam, opus utique est pietate prævia, quæ in intima imbecillitatis humanæ agnitione, divinique auxilii sincera modestiaq; imploratione summatim consistit, & possunt hac trahi, quæ *Poietetus* dixit, modo ab entusiasmo liberentur.

§. LXXX. Tum auxilium divinum certo nobis promittere possumus, hoc autem in eo consistit, quod Deus mentem dirigat, ut veritatem eo certius inveniat, juxta modum tamen, quem Creatori creaturæ assignare placuit, porro quod bonos motus largiatur, vel etiam excitatores confirmet augeatque, quo mens acquisitam cognitionem ad debitos fines, amorem scil. Dei, sui & proximi referat,

§. LXXXI.

§. LXXXI. Hæc vera pietas, verusque ejus effectus est, ratione & revelatione subnixus , sed intellectus passivus, supernaturali quodam afflatus replendus, delirium est , cœtetigi, §. 76. & nunc plenius confirmabo.

§. LXXXII. Scilicet deficit (1) *divina promissio*. Sane neque ex natura, neque ex revelatione constat, quod Deus hominibus fanaticis, ore aperto & clausis oculis , vel nescio , qua sub figura expectantibus, eruditionem infundere velit.

§. LXXXIII. Repugnat etiam enthusiasmus ille, (2) *indoli nature humanae*, mens cum activitate creata, ac velut moderator, homini humaniisque actionibus à Deo præfecta est, hinc nihil cœco applausu admittere potest aut debet. Quodsi autem illa de divinitate ; prævio examine, semel sit persuasa, tum in cæteris,

teris, quæ non capit, passive se gære-re tenetur.

§. LXXXIV. Si quis loci viæque peritissimus, me, in tenebris iter fa-cientem, facula instruat, alius vero eam jubeat in locis maxime obscu-ris, salebrosis & periculosis extingui, illum pro impostore merito habe-bo. At si ille ipse, qui facula me instruxerat, accedat, & à me, lumi-nis concessi beneficio, certo agno-scatur, seque ductorem offerat, tum ipsum tuto, etiam, si ita jubeat, fa-cula extincta vel abscondita, sequi possum.

§. LXXXV. Applicatio non erit difficultis: Ratio à Creatore concessa, facula est, si eam Enthusiasta in rebus divinis extingui jubeat, majusque lumen, suatamen assertione, saltēm constans, loquatur, pro impostore haberi debet. Sed si Deus per ratio-nem agnitus, aliud lumen sequi du-

ductorem offerat, eum merito sequimur, lumine naturali, si ita velit, etiam seposito.

§. LXXXVI. Amplius delirium, apparet, (3) ex ipsa jactata eruditio-  
ne inspirata. Si ad ea respiciamus,  
quæ §. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 41. 42. 43. 44.  
reculi, quæque dubio procul Poiret-  
eus divinitus sibi infusa credi vult,  
cum vel sunt verba nihil significan-  
tia, vel nonnulla religionis christia-  
na placita, quæ licet vera sint, atta-  
men infusa non sunt, & hactenus fa-  
natica non immerito existimantur.

§. LXXXVII. Apparet inde natu-  
ra enthusiasmi, nam sicut somnian-  
tibus phantasia nunc imagines effi-  
ctas offert, nunc res veras, de quibus  
forte interdiu cogitatum erat, repræ-  
sentat, ita ille etiam fanaticis ficta-  
& vera undecunque accepta exhi-  
bet. Et quis in Poiretto mentem vel  
naturaliter vel sponte agram, laesam-

que phantasiam non agnosceret, quando Idem *realitates centralissimas & exaltatissimas*, vid. §. 41. *sex-tum naturae sensum*, vid. §. 61. & similia loquitur.

§. LXXXVIII. Nihil etiam pro intellectu passivo & supernaturali inspiratione afferre potest *Poiretius*. Evidem jactat ille, (4) *exempla in sacris occurrentia*, vid §. 38. Verum a particulari ad universale non valet consequentia, una hirundo non facit ver, ceu loquentem audivimus *Poirettum*, §. 63.

§. LXXXIX. Nam Deum posse eruditionem infundere, certum est, ipsum etiam actu id fecisse, tum credimus, quando quis eruditionem vel facto ostendere potest, vel alias de divino ejus commercio persuasi sumus, sed illa exempla sunt singularia ea que rarissima, quæ regulæ constituendæ non sufficiunt.

§. xc.

§. XC. Frustra etiam urgetur à Poiretto (5) quod lumen divinum in zima conscientia intelligatur, perinde sicut lumen rationis, vid. §. 62. nam à disparibus argumentum ducitur, si Poirettus dicat, se pedibus incedere, tum fidem ei habebunt homines, interno conscientiae testimonio ultimato convicti, ast si idem contendat, se volare vel incedere capide, ei non credent, licet magnum ille ei eat clamorem magna que hoc jubeat confidentia. Eadem est ratio utriusque luminis modo allati.

§. XCI. Hinc etiam fere eo delabitur, ut (6) lumen suum divinum non tam probet, quam pro autoritate potius imperet, nam de eo non magis disputatur inter ejus possessores, quam de luce inter videntes, vid. lib. 3. de erudit. fals. §. 71. p. 358. ut alia loca nunc taceamus. Sed hæc insignis est fanaticorum impostura, quando

id, quod vel maxime controversum, velut certum ac indubitatum, immo divinum, supponitur.

§. XCIL. Atque hoc etiam apparet, (7) ex usu mediorum, que pro obtinendo lumine commendat, vid. §. 36. seqq. si enim queraris, te, adhibitis licet mediis, lumen divinum tam non obtinuisse, regeret Poiretius, te non recte iis esse usum, quod perpetuum erit effugium, hinc nunquam usum legitimum vocabit, quam si ejus sententiae assentiaris, quod iterum non est rem controyeret, probare, sed imperare.

§. XCIII. In tractatu de methodo inven. ver. p. 2. qu. 3. n. 3. p. 97. alia addit, nempe (8) facultates superiores & passivas, esse homini maxime essentiales & intimas, adeoque semper eidem adesse, verum hoc nullibi probavit Poiretius, licet id jactet.

§. XCIV. Porro (9) eas in altera vita

vita esse futuras ergo jam nunc adesse; quæ mira profectio est illatio, quam non juvant sequentia: si illas possumus altera vita recipere, ergo habemus capacitatem sive facultatem illas recipiendi, at qui hæc facultas illas recipiendi, sunt ipsissimæ illæ jam facultates, nam hic eadem imo adhuc major subest contradictio, & quis crederet, v. gr. matum, qua recipio, esse donum, quod recipitur.

§.XCV. Amplius (i6) Deus potest efficere in homine maius lumen, ergo homo habet potentiam id ipsum à Deo actu patiendi, quid tum? ergone actu patitur? rhesera illatio: Deus potest hominem vivutti, ad se trahere, ergone etiam trahit? à posse adesse non valere Consequentiam, tralatitium est.

§.XCVI. Hinc etiam concidit id, quod additur, (ii) sicut recte sequitur: homo habet facultatem esuriendi,

ergo & facultate edendi, cibosque admittendi, donatus est & esse debet, ita ex desiderio adspirandi ad cognitionem excellentissimam, omnibusque tenebris carentem; sequitur, dari in eo facultatem, istam cognitionem recipiendi, tanquam cibum animæ suæ desiderantis.

§. XCVII. Nam esto, quod illa facultate gaudeat, non tamen ideo actu cognitionem recipit, quia deficit promissio & voluntas divina. Sic non sequitur: filius habet facultatem desiderandi & recipiendi cibos optimos maximeque delicatos, Pater quoque habet facultatem eos largiendi, ergo ille actu cibis istis fratur.

§. XCVIII. Ulterius (12) urget testimonia probarum mentium id expertarum, hæc admittimus juxta conditiones §. 89. memoratas, sed si fanatici titulum illum sibi sumant, quo

quo deliria sua eo securius vendant,  
tum illis nihil est tribuendum.

§. XCIX. Denique (13) ex natura mille experimentis patere, passim modis excitari in nobis clariores, vividiores, excellentiores objectorum cognitiones, quam activo solum intelle-  
ctu, sed ab iis, quæ naturalibus mediis intelliguntur, ac de quorum presentia & veritate humanum genus persuasum est, ad ea, quæ neque per se, neque per effectus comparant, non valet consequentia, ut taceam, à lumine sensuali, perperam excludilumen rationis.

§. C. Hinc patet infirmitas illationis; si latenter in nobis innumera quoad naturalia ipsa facultates, qua per presentiam objectorum nondum sunt actuatae, quidni quoad Deum divinaque, præ quibus mille mundi naturales, punctuli instar sunt, nobis inesse colligendum est, multo immensiora

vasa, & ( si ita toquilitet ) capacitas  
tes infinitiores? Geminia fere haben-  
tur, d. p. 2. n. 5. & pag. 125. seqq. quæ  
ad eo speciatim expendere non asti-  
net.

§. CI. Sed forte opetam Iusimus,  
dum intellectum passivum, seu jacta-  
tas facultates superiores, intellectus  
activo aggressi sumus, nam hoc non  
omnia capi, contentio Poiretus, videlicet  
supr. §. 84. forsitan ad hanc collationem  
tinet intellectus passivus, qui ad eo ac-  
tivo non recte impugnatur.

§. CII. Nescio an ita revera sen-  
tia Poiretus, quodsi vero ista sententia  
inoptantius est ejus sententia, nam  
omnia, adeoque etiam jactat utrum in-  
tellectum passivum, subire debere  
activi intellectus judicium & ex-  
amen, facis forsitan ostendimus, §. 83.  
seqq. Ino ipsa sibi hanc partem relin-  
ctaretur.

§. CIII. Nam libros de eruditio-  
ne,

ne, & de methodo inveniendi verum, intellectu activo effecit, hoc quoque passivum confinxit, & procedurem varias rationes, hactenus excusas, attulit, & licet hac in re deliraverit, attamen vel in ipso delirio agnoscit, nihil intellectum activum antevertere posse aut debere, denique fatetur in activa intellectus libertate positum esse, an bona tam diuina quam naturalia admittere vel rejicere velit, & hoc nunquam negandum esse, d. tr. de meth. inven. Ver. p. 2. qu. 3. n. 2. p. 97. quod argumentandi genus ( $\kappa\alpha\delta'$   $\alpha\gamma\theta\alpha\tau\omega\sigma$  scilicet), Poiretius fortissimum censet de erud. l. 2. §. 18. p. 150.

§. CIV. Et sane sicut ridiculum est, cum aliquo his conditionibus luctari velle, si sibi antea compedes injici manusque ligari patiatur, ita etiam insanum foret, vel postularc vel concedere, ne, circa admissio-

nem intellectus passivi, ullæ intellectui activo relinquuntur partes.

§. CV. His ita se habentibus, facile de cæteris judicari potest. Nimirum in iis, quæ de possessione eruditionis solidæ differit *Poiretius*, *vid. supr. 5.45.* per fallaciam causæ pietati fanaticæ tribuitur, quod veræ competit, sicut etiam enthusiasmus in eruditionis communicatione, de qua §. 46. seqq. fatis iterum elocet.

§. CVI. In primis intolerabilia sunt, quæ de interpretatione Scripturæ dicit, nam esto, quod juxta consueta interpretandi principia, dissensiones nonnullæ oriuntur, (quod inter homines evitari nequit, in primis, cum non tam mediæ incertitudo, quam potius hominum malitia, rei hujus sit causa) attamen si infusum aliquod lumen, velut interpretandi principium, admittamus

mūs, tum longe majora incommo-  
da inde orientur.

§. CVII. Vel enim inde existet sa-  
cra tyrannis; si nempe ab unius vel  
paucorum, afflatibus divinis, scili-  
cet! tumidorum, ore, cæteri pen-  
dere debeant, vel absurdissima con-  
fusio, si omnes æquali libertate, jux-  
ta putativum lumen infusum,  
nulla habita externorum indicio-  
rum ratione, interpretationem su-  
scipient.

§. CVIII. Quamobrem hanc uti-  
que veram interpretandi rationem  
esse, arbitror, si cum debita pietate  
scripturam accedamus, ejusdemque  
sensum ex consuetis indiciis investi-  
gemus, hinc linguæ fundamentalis  
aliarumque circumstantiarum ratio  
omnino habenda, & Critica negligi-  
non debet, secus ac Poirettus jubet,  
nam aliud medium Deus regulari-  
ter non suppeditavit.

§. CIX. Quæ porro Idem de eruditione superficiaria, rationisque humanæ imbecillitate docet, vid. §. 55, seqq. illa, si in se spectentur, non plane improbanda sunt, quamvis nec penitus probari queant, verum si spectentur intuitu luminis superioris fanatici, cuius gratia lumen rationis tantopere deprimitur, tum omnino rejici debent.

§. CX. Hinc nec à Pyrrhonismo hactenus excusari debet Poirettus, nam si quis modica fercula tollat vacuasque patinas reportat, multaque insuper deblateret de dapibus opiparis, quas illorum loco apposuerit, is nihilominus cibi subiracti reus est.

§. CXI. Porro nec id Poiretto concedendum, quod Theologia Philosophiæ recte misceatur, de quo actum, §. 68, 69. nam omnes ejus rationes cotendunt, Deum à philosophia

phia non posse excludi, de quo nulla est quæstio, de *Ordine* enim tantum controvertitur.

§. CXII. Cum igitur divina & humana diverso cognoscamus lumen, rationi utique est consentaneum, ut lumine illo, quod Deus per naturam nobis concessit, primo utamur, cum illud sit generale & ratione autoritatis non controversum, utpote homini qua' tali competens.

§. CXIII. Postea sequi debet lumen scripturæ, quod Christianis proprium, & hactenus particolare, & controversum est, huic adjungi potest lumen infusum (si revera adsit nec potius per ægram phantasiæ effingatur, quod regulariter dicendum) est enim maxime particolare, Prius sumus *homines*, quam *Christiani*, & prius *Christiani*, quam specialiter illuminati, ergo hoc ordine, merito diverso lumine utimur.

§. CXIV. Si quis autem cum Poiretto, ordinem invertat, & lumina illa particularia maximeque controversa nimis abrupte urgeat, ac velut concessa, fundamenti loco, supponat, is roti naturæ vim quasi infert, in alias gentes stultum sibi arrogat imperium, cum iis commercium hac in parte abrumpit, illisque propria sua principia retorquendi praebet occasionem.

§. CXV. Denique quæ de studione falsa commentatur Poirettus, juxta §. 70. seqq. illa eatenus generaliter improbari debent, quatenus ejus falsitas ex eo potissimum aestimatur, quod ab enthusiasmo aliena sit. Decätero, seposito hoc respectu, illum nonnullos defectus in disciplinis observasse, ac in specie Criticos superciliosos subinde ex merito despiciisse, nolim negare.

§. CXVI. De eo in genere parum la-

laborandum, quod *Poirettus* dissentientes, *irriforum, atheorum, epicureorum animalculorum*, vel etiam pro sua mansuetudine & pietate, *asinorum*, vid. l. 3. do erud. fals. n. 73 in fin. p. 365. nomine insectetur, nam fanaticis impune convitiari licet, delirio triste privilegium largiente.

§. CXVII. Nec quisquam *Simibus*, quibus *Idem* tam in tractatu de eruditione quam de methodo inventi verum, abundat, quibusque lumen suum fanaticum, in luminis naturalis opprobrium, nimis extollit, se capi patiatur. Nam utut in se spectata, non inelegantia sint, attamen si applicationem spectes, utroque pede illa claudicant.

§. CXVIII. *Poirettus* potius est similis filio peregrine abituro, quem Pater equo instruxerat<sup>11</sup>; non optimo quidem, attamen nec plane pessimo, & cum quo iter ita conficeret  
po-

poterat, ut aliquando equitare ipsi licuerit, aliquando eriam pedes ille incedere, à quibusdam locis etiam plane abstinere debuerit, hic vero, abdicato equo, in arundine longaequitare malit, sibi & aliis magna persuasurus confidentia, se cum hoc novo equo suo, longe rectius iter posse confidere, quam cum illo, quem Pater dederat.

§. CIX. Licebit etiam fanaticorum conamina hoc simili illustrare. Flumen satis magnum adest, ponte valde ruinoso stratum, hunc non nemo transire haut vult, &, licet littori immotus adhaereat, sibitamen & aliis persuadere nititur, se sine ullo lapsus periculo, celerime illud transvolare.

§. CX. De causis scriptioris Poi- rettianæ certo pronunciari nequit. Forte ex lectione scriptorum fanaticorum veram animi ægritudinem

con-

contraxis, aut desiderio novæ sectæ condendæ, illud scriptioris genus elegit, vel etiam novam methodum, Dei existentiam ac religionis Christianæ veritatem contra atheos & infideles demonstrandi, ex cogitatione revolut.

§. CXXI. Sed ultima intentio, si subfuit scopo suo omnino excidit, immo ista probandi ratio à dissidentibus in veritate potest esse jam §. 114 in dictavimus. Summa igitur in Poretum dictorum vel dicendorum eos redire. Magnam utique rationis humanæ esse insatilitatem, sed morbo medelam vana afferri, se anodynophanico ei stuporens inducere conemar.

§. CXXII. Verum de Poretto alii, quibus libet, amplius viderint, nobis tandem in viam redundantem est. Ad disciplinam igitur Generalem (II). recte referti arbitramur, vid. §. 6. Generales rerum classes & hinc ortas Di-

sci-

sciplinas speciales earumque delineationem, de quo nonnulla cap. prec. §.37.38. tetigimus.

§. CXXIII. Cæterum hoc caput vix recte adornabitur, nisi illi, qui specialibus disciplinis dediti sint, collatis consiliis & symbolis id excolant. Nam vulgaris Hexilogia, quam vocant, nimis jejuna sterilis- lisque est, non aliam ob causam, quam quod illi disciplinas delineavit, qui eas speciatim non sunt edocti, vid. Weis. Log. p. 21.2. c. 1. §. 9. c. 2. ad fin.

§. CXXIV. Ulterius (III) ad laudatam Disciplinam referenda erunt generales rerum consideraciones, que in Logica & Metaphysica vulgo propo- nuntur, de quibus, cap. prec. §. 6. seqq. §. 39. seqq. pluscula diximus, quam tractationem recte excipient, (IV). Distinctiones, cogitationibus exprimendis inservientes, vid. cap. prec. §. 40. c. 16. §. 70.

§. cxxv.

§. CXXV. Huc etiam referendos  
puto (V) *Locos Topicos*, vid. cap. pr.

§. 47. quibus omnem utilitatem ab-  
judicare nolim, licet fere eo delaba-  
tur Autor *art. cog. p. 3. c. 15.* (cujus ta-  
men rationes nihil aliud evincunt,  
quam, locos illos non ubique esse  
necessarios, nec exercitatis valde  
prodesse. *conf. Thom. introd. ad Log.*)  
*c. 20. §. 78. 79.* *aliam* loco locutus est.

§. CXXVI. Quod si quis (VI) ad-  
dere velit *generalia interpretandi*  
*principia*, quæ deinceps Propria  
quæque Disciplina, pro suo captu,  
augeat magisque diducat, tum non  
valde refragarer, cum enim in una  
quaque Disciplina speciali, tam de  
rei veritate quam mente Scriptoris  
soleamus esse solliciti, adeoque qua-  
lis qualis interpretandi notitia ubiq;  
præsupponatur, non incongrue ge-  
neralia ejus capita, Generali Disci-  
plinae inserentur, nam ad Logicam  
ea-

eadem non pertinere, cap. prec. §. 48.  
seqq. ostendi.

§. CXXVII. Denique hoc referri posset, (VII) *Historia literaria*, inquit, atamen tradenda ita versandum fuerit, ut propinquiora commemo- rentur, à quibus animus, harum literarum cupidus, in remotiora deinde queat eniti, perinde sicut in historia Politica & Ecclesiastica docenda & discenda, tempora propinquiora, sub initium respicere jubent cordati rerum aestimatores.

§. CXXVIII. In hunc fere modum, si disciplina generalis concinetur, tunc eam sua utilitate non destitutum iri putem, certe ex parte iam tetigi, cap. prec. §. 40. 41. 42. certe maiorem, quam vulgaris Metaphysica affert, eam esse præbituram, omnino arbitrer.

§. CXXIX. Quod si autem illa cum Arte cogitandi seu Logica comparetur,

tur, tum ambæ manuum instar sunt, quibus Disciplinæ Speciales recte prensari queant, mens enim suas operationes intelligens, ac generali rerum disciplinarumque cognitione imbuta, specialibus excolendis est aptissima.

§. CXXX. Neque tamen exinde sequitur, quasi Disciplina hæc Generalis, pueris statim sit proponenda. Dicendum potius, quod, sicut Logica non est disciplina puerilis, *ceu c. i. §. 33. seqq.* ostendimus, ita & Illa huic ætati non conveniat. Quare juventus tenera, rebus sensualibus, ac memoriam sufficientibus, imbuenda est: Postquam vero adolevit, ut studiis magis serio sit mancipanda, tum præceptis artis cogitandi, & Disciplinæ hactenus delineatae, in antecessum recte præparabitur.

§. CXXXI. De cætero usi sumus appellatione populari *Disciplina Genera-*

*neralis*, nam curam accuratioris de-nominationis illis relinquimus, qui-bus ipsam rem excolere lubebit. Forte, sicut Logica, *Ars cogitandi* dicitur, ita hæc non incommodo, *Ars recte proficiendi*, dici poterit, sed de hoc alii dispiciant ac-curatius!

## F I N I S,



## INDEX



## INDEX

Rerum præcipuarum,  
prior numerus, *Caput*, posterior,  
*paragraphum* notat.

## A.

*Accidens.*  
Eius natura nova ratione explicatur  
XVIII. 25. seqq.

*Æquipollentia.*

Eius indoles, cum epicrisi quoad do-  
ctrinam vulgarem VII. 41. 42.

*Ætas puerilis.*

Discendæ Logicæ non est idonea I.  
33. 34. 35. 36. 37.

*Atheismus.*

non latet in dubitatione temporaria  
de Deo III. 62. 63.

## C.

*Circulus,*

quan-

quando in cognitione proband⁹ aut improbad⁹ XIII. 29, 30, 31.

*Cogitatio.*

Ex cogitationibus oriuntur discipline I. 2. sunt objectum Logicæ I. 9, 10, 11, 12, 13, 38, 39, II. 1. cogitationis natura II. 2. prolixiorque explicatio II. 3. seqq. cogitationum moralitas ad Logicam non pertinet XVIII. 57. nec prudentia mendandi; vel cogitata proponendi, nec de aliorum scriptis judicandi XVIII. 60. seqq.

*Cogito ergo sum.*  
quæ sit ejus præ aliis veritatibus indemonstrabilibus prærogativa III. 20, 38.

*Contradic̄tio.*

duplex contradicendi ratio XVI. 4.  
sive viva voce & in scriptis XVI. 6,  
7, 8. directe & indirecte XVI. 32,

*Conversio.*

ejus indoles prolixe traditur, rejecta  
vul-

vulgari eohversione per accidens  
& contrapositionem VII. 2. seqq.

Dicitur deinde.

*Definitio.*

prædictæ exponitur VIII. 1. seqq.

*Divisio studiorum.*

Quid? IX. 2. enī ratione non consistat cogitationis apud IX. 3. XIII. 9. non  
requirit subjectum necessarium.

XIII. 11. 12. alia vulgaria exagni-  
nantur XIII. 3. 14. et XI. 11.

IX. 10. 11. 12. Dicitur ergo quod hoc

Quid? ex sententia Poiretti XIX. 28.  
I. 29. eruditorem hominibus, ex e-  
iusdem sententia, presuppositis  
corris conditionibus & infundit  
XIX. 26. seqq. sed hic est enthusi-  
asmus fanaticus XIX. 78. seqq.

*Discutitur de omni ē. nullo.*

secretū vélut obscurum rejicitur IX.

.1. 32. 33. et alijs. et recipiat nos  
etiam *Disciplina Generibus.*

Præter Logicam talis est necessaria.

Y

ad

ad excolendas speciales. Ejus habitus delineatur XIX. i. scqq; usus XIX. 128. comparatio cum Logica 129. non est puerilis 130. dici potest Ars recte proficiendi 131.

*Discipline morales.*

Variis laborant defectibus XV. 22. seq; præcepta earum ad scientias & studia quoq; se extendunt XVIII. 37. 61. 63.

*Disputatio viva vox fausta.*

Ejus indoles prolixias traditur XVI. 10. ii. seqq. XVII. i. seqq. utilitas XVII. 36. quomodo ejus leges ad disputationem scriptam applicandæ XVII. 37. an scripta concertatio ineunda vel continuanda? XVII. 40.

*Distinctionum formule.*

earum usus & abusus XVI. 69. 70. non pertinent ad Logicam XVIII. 46. sed ad Disciplinam aliquam generalem XIX. 14.

Dix

*Dopisio.*

ejus prolixior explicatio VIII. 20.

seqq.

*Dubitatio.*

est via ad spiciam cognitionem III.

57. seqq. cogitatio fluctuans V. i.  
non est peculiaris mentis opera-  
tio V. 10.

*E.*

*Enthusiasmus.*

Petro Poiretio in libris de eruditio-  
ne solida, superficiaria & falsa, re-  
cite tribuitur XIX. 73. seqq.

*Eruditione.*

ejus explicatio ad Logicam non per-  
tinet XVIII. 58. sed ad discipli-  
nari generali, cum explicatio-  
ne eruditioonis ac relatione & ju-  
dicio, descriptis Poiretti, de eru-  
ditione solida, superficiaria & fal-  
se XIX. 6. seqq.

*Existentia.*

an sit objectum primæ mentis ope-

rationis? V. 23. 24.

*Exponibilis proposicio.*

Parum solide vulgo exponitur VI. 53.

seqq. idem fere dictandum de Syllogismo exponitur XI. 8. seqq. 30.

.1. 7. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

*Fallacie Syllogisticæ.*

**ex vulgaribus & propriis hypothesi-  
bus considerantur XIII. 17. seqq.**

**quomodo sis occurrendum XIII.**

**43. seqq. in situ disputationum**

**cædem ex professo expenduntur**

**XVII. i. seqq.**

*Fallacie.*

**quid & quotplex cura explicacione**

**prolixiori IV. i. seqq. eam comi-**

**tatur obsecritas & confusio V. 4.**

**5. 6. datur etiam in prima mentis**

**operatione V. 22. fallitas syllogis-**

**morum XVI. 4. seqq. diversa cir-**

**ca eam disputando Pratio XV. L. 3.**

**4. ejus in disputationibus defen-**

**satio & tunc certa multo jocu-**

**ris-  
citat**

— si omnia veritati obesse non videtur  
XVI. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

*Fides.*

semel admissa excludit dubitatio-  
nem III. 64. 65. admittenda per-  
dubitacionis subest III. 84. 85. 86. est  
illa divina vel humana III. 87.  
quomodo utraq[ue] examinanda,  
III. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. XIX.  
104. 83. seqq. ad 1. seqq. nulla  
*Figurae Syllogisticae.* pcc. iii  
quid & quo triplices sunt X. 3. 3. 4. non  
sunt cum suis modis necessariae  
X. 5. 6. 7. quovis modo in quavis  
figura concludi potest, hinc o-  
mnes regulæ speciales Syllogisti-  
cae falsæ censeri debent X. 9. seqq.

*Formæ Syllogismorum.*

essentialis in quo consistat? IX. 22. sq.  
X. i. accidentalis occurrit in figu-  
ris vulgaribus X. 3. Tirones ad il-  
lam potius quam hanic respicere  
jubendi sunt X. 7. 8. circa condi-

tionales nulla peculiaris forma occurrit, secus ac vulgo docent XIII. 20. seqq.

*Futura.* *Inductio* I. 1. 2.  
In quantum circa ea cognoscendi principiis locus? III. 96. *videtur*  
III. 11. *etiam* *Primum* et *alibi* 1. 2.  
*Historia literaria.*

De scriptis judicat XVIII. 63. ad disciplinam Generalem referri potest,  
in eaque docenda & discenda à non propinquioribus videtur Principi-  
endum, ab hisque in remotiora  
penetrandum XIX. 173.

*Inductio* I. 1. 2. *videtur*  
in qua videtur *Idem* *esse* *non esse*.  
Opid? II. 3. aliaque eo pertinentia  
II. 4. seqq. V. 14. 33. 34.

*Impossibile est idem esse*  
*& non esse.* *videtur*  
exigua ejus inter cognoscendi prin-  
cipia utilitas III. 78. 79. 80. *videtur*

*Inductio* I. 1. 2. *videtur* *Primum* et *alibi* 1. 2. *videtur*

*Interpretatio.*

ad Logicam à recentioribus non re-  
et c refertur XVIII. 48. seqq. ge-  
neralia ejus principia Disciplinae  
Generali inseri possunt XIX. 126.

*Jurisprudentia.*

ejus partes nonnullæ & themata sin-  
gularia methodice exhibita XIV.

40. seqq. studium juris methodo  
analytica vexatur XV. 26. seq. quid  
de philosophia juridica haben-  
dum XVIII. 41, 42.

*L.*

*Libertas.*

Cuivis circa usum terminorum  
competit I. 6, 31. in quantum ra-  
tio in rebus cognoscendis libera  
XIX. 17.

*Limitatio.*

diversa limitandi ratio XIII. 47, 48.  
prolixius illa tum ex sententia a-  
liorum, tum propria explicatur  
XVI. 87. seqq.

X 4

*Loci*

*Loci topici.*

ad Logicam non pertinent XIII. 16.  
imperitos disputantes juvare nequeunt XVI. 55. à Logica sunt alieni XVIII. 47. ad Disciplinam Generalem debent referri cum monito de eorum utilitate XIX.

115.

Expositio de locis topicis. In libro primo Logicae p. 115. ex consideratione entitatis, quam de scipientia summis originibus diversa ejus suppositio, primitio et quo explicatio I. 4. seqq. modus sciendi in Logica docetur III. 5. 99. eius methodus VIII. 22. non considerat voces V. 27. seqq. nec causas rerum XIII. 10. nec locos topicos XIII. 16. in exemplum disciplinæ, methodicæ excolendæ, producitur XIV. 64. quæ ad eam male referantur, ex professo ostenditur XVIII. 1. seqq. distinc-

tio

ctio Logicæ docentis & utentis  
XVIII. 64. seqq.

*Lumen.*

triplex ex sententia Poiretti , di-  
num, quod Deus intellectui passi-  
vo infundit , sensuale & rationis  
XIX. 60. 61. unumquaque vero  
intima conscientia percipitur  
XIX. 62.

*M.*

*Meditatio.*

Propriæ meditationis utilitas III. 8.  
attente eadem instituenda III. 28.  
66. 67. ex disciplinis realibus ma-  
teria meditandi oritur nec de or-  
dine valde laborandum III. 100.  
meditatio non est disputatio XVI.  
17. de meditandi prudentia in  
Logica seorsim non videtur a-  
gendum XVIII. 60.

*Mens humana.*

Principium cogitandi Ia. res media-  
te per sensus, & immediate sine

Y §

illis

illis percipit II. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.  
 15. 16. 17. ejus infirmitas in cognitione sui I. 1. II. 20. mens veritatis  
 capax est III. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.  
 17. 18. 19. 20. 21. quomodo veritatem acquirat III. 22. seqq. mentis  
 morbi IV. 10. seqq. quo sensu ad Logicam non pertineat? XVIII.  
 59. est eruditionis subjectum &  
 medium XIX. id. mentis indoles  
 ex sententia Poiretti XIX. 30. seq.  
 activus intellectus est fundamen-  
 tum eruditionis superficiariæ ex  
 ejusdem mente XIX. 57. seqq. in-  
 tellectus passivus Poiretti refelli-  
 tur XIX. 81. seqq.

### *Mentis operationes.*

carum comparatio I. 15. 16. 24. varie-  
 tas V. 1. seqq. sunt tres, quod de-  
 fenditur V. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. in pri-  
 mis veritas & indoles primæ o-  
 ffenditur V. 15. tertia operatio  
 quomodo alias dicatur X. 1. 2. 5.

Me-

*Metaphysica.*

Vulgaris bonum habet scopum, sed eum non attingit XIX.3.4.

*Methodus.*

Non est peculiaris mentis operatio

V.13.ejus indoles & requisita prolixius explicantur XIV.1. seqq. in epistæ methodicæ XIV. 36. 37. 38. fusijs & ex professio XV.1.seq. in primis ad eas pertinet methodus Synthetica & Analytica XV.8. sq. non etiam methodus causalis XV. 35. seqq.

*Modalis propositio.*

Vulgo minus solide explicatur VI. 53. seqq. quod de Syllogismo modali fere etiam dicendum XI. 8. seqq.

*Mundus.*

regitur opinionibus IV.9. seqq.

*N.*

*Natura & revelatio.*

sunt eruditionis humanæ fontes,

non recte miscentur aut illa negligitur XIX. 17. 18. 19. 20. quamvis dissentiat Poiretus XIX. 68. 69. refutatus XIX. III. 112. 113. 114.

## O.

## Opponens.

Cjus in disputando officia late recensentur XVI. 8. seqq., XVII. 11. seqq.

## Oppositio.

Pluribus exponit ut emendata vulgari sententia VII. 43. seqq.

## P.

Pauperum isti et V est aliqua causa ignorantiae IV. 13.

Perceptio est rite & distincte. est Veritatis criterium III. 24. seqq.

V. 3. 7.

## Per Petri Poiretii

Libri de eruditione solida, superficiaria & falsa recensentur, iisdem que enthusiasmus fanaticus impin-

pingitur XIX.26. seqq. conjectura de ista scribendi ratione XIX. 120.121.

*Philosophia.*

Veritatem quærendo, eam prope-  
modum aliquando amittunt III.  
7. ab autoritate alicujus Philoso-  
phi disciplinæ pendere non de-  
bent IV.16.17.

*Philosophia.*

Theologica, juridica vel medica ine-  
pte conficitur XVIII.41.42.

*Prædicabilia.*

ad Logicam non pertinent, adduc-  
tis insuper doctrinæ vulgaris de-  
fectibus XVIII.3. seqq.

*Prædicamenta.*

Cum ante & postprædicamentis ad  
Logicam perperam referuntur  
adductis doctrinæ vulgaris erro-  
ribus XVIII.3. seqq.

*Prædicatum.*

ejus quantitas vulgo male negligi-

tur VI. 36. seqq.

*Principia cognoscendi.*

quid? III. 23. protuplicia , singulo-  
rumque explicatio prolixior III.  
23. seqq. ratio probans , principi-  
um dicitur IX. 2. talia principia  
Logica non suppeditat, nec da-  
tar in iis progressus in infinitum  
IX. 3. 4.

*Probatio.*

negativa propositio an & quando  
probanda XVII. 16. seqq.

*Processus disputandi.*

late exponitur XVI. 1, seqq. XVII. 1  
seqq.

*Propositio.*

est aliquando instar ideæ simplicis  
V..26. propositionis indeoles pro-  
lixe traditur VI. 1. seqq. affectiones  
pluribus explicantur VII. 1. seqq.  
discrimen negativarum & infini-  
tarum IX. 36. X. 24.25.26.37.

*Prin-*

*Prudentia docendi.*

ad Logicam non pertinet cum monito quoad rem ipsam XVIII. 61.

62. solidi Doctores , ex sententia Poiretti, quinam? XIX. 44. seqq.

R.

*Reductio.*

explicata X.39.40.41.42. ac pleræque tricæ vulgares rejectæ X. 43. 44. 45. 46.

*Regulae Syllogisticae.*

Generales in quantum probandæ IX.

34. seqq. otiosæ IX.43.44. speciales, quæ figuræ & modos vulgares concernunt, falsæ sunt X. 9. seqq. quod etiam dicendum de iis quæ Syllogismos conditionales respiciunt XII. 26. seqq.

*Res omnes.*

Non sunt objectum Logicæ I. 18. 19.

20. 21. de omnibus dubitandum

III.

- III. 60. seqq. unde rerum genera  
& differentiaz specificæ petendæ  
VIII. 9. quoniamodo res generali  
consideratione recte explicandæ  
XVII. 38. seqq. pertinet ista tra-  
ctatio ad disciplinam generalem.  
XIX. 122. 123. 124.

*Respondens.*

ejas in disputando officia exponi-  
tur prolixius XVI. 28. seqq. XVII.  
1. seqq.

*Responsio.*

diversa respondendi ratio ostendi-  
tur XVI. 64. seqq.

*Rezelatio 55 natura.*

sunt eruditionis humanæ fontes,  
non recte miscentur, aut hæc ne-  
gligitur XIX. 17. 18. 19. 20. quam-  
vis dissentiat Poirettus XIX. 68.  
69. refutatus XIX. 111. 112. 113.  
114.

S. Sce-

Scepticismus.

Et tunc ad Scepticismus. Poiretus, si non favet Poiretus, ut ipse quidem credidit XIX. 59. seqq. reuelavit tantumne iusti quod immundus reus est XIX. 110.

Scriptura Yerba.

Eius vera interpretatione non ex verbis, sed ex insipidum in dictino dependet, ex parte Poiretti XIX. 49. 50. quod fanaticum & intollerabile est XIX. 106. 107. 108. non potest esse nisi ex parte eiusdem Poiretti. Et in aliis cogitationibus non praeciso requisitur II. 18. 19. sed debet esse per spicium V. 36. 37. Iesus natura & moralitas XIV. 73. seqq. qualis in disputationibus requiritur XVI. 33. 34. 40. ad quam disciplinam eius explicatio pertineat? XVIII. 45.

Stri-

*Scriblio Scholastica.*

**dictioni & rebus male affricatur XIV.**

**38. XV. 36.** *Subtilitas* & *difficultas* 10  
in *Subtilissimis* 10. *Subtilitas* 10

**eius exigua videatur usus VII. 39.**

**40.** *Subtilitas* & *difficultas* 10

*Substantia.*

**eius indoles nova ratione explicatur**

**XVIII. 25. seqq.** *admodum* 10

*admodum* 10. *Syllogismus* 10

**mon est objectum Logices adiqua-**  
**tum I. 14. 15. 16. 17. nec finis I. 24.**

**eius natura prolixè exponitur in**  
**genere, notatis variis Peripateti-**

**corum erroribus IX. 6. seqq. ba-**

**quitas eius materialis generaliter**  
**definitur IX. 45. figuræ & modi**

**late considerantur X. 1. seqq. va-**

**rietas Syllogismorum simplici-**

**etiam XI. 1. seqq. expositorius reji-**

**ctus XI. 1. 22. abusus vaniloquo-**

**rum notatur XI. 26. varietas Syl-**

**logis-**

logismi compoſiti ostensa, no-  
tatis variis erroribus vulgaribus  
XII. i. seqq. assumtivi Syllogismi  
rejiciendi XII. 37. seqq. Syllogis-  
ma verus & falsus XII. i. seqq.  
demonstrativus & topicus ad  
Logicam non pertinent XIII. 8.  
seqq.

**T.**

XIV. 11. de **Terminac.** 10. 11.  
Vox hæc ad denotandam primam  
mentis operationem non satis re-  
cte adhibetur V. 18. seqq.

**Tirones.**

cur ſæpe utantur Syllogismis con-  
ditionalibus XII. 35. 36. quis di-  
ſputationum, eorum respectu, fi-  
nis XVI. 19. 20. 21. vana doctrina  
illi ſæpe vexantur XVIII. 7. 10.  
32. 34.

**Totum.**

Juxta hypotheses vulgares & pro-  
prias

- capitis explicatio. V. 21. seqq.  
- caput substantia comparatur  
**XVIII.** 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.  
- caput Tribonianus oblige  
- incomparabilis. Jurispendentia statu-  
bus non, spilicet! VIII. 20. 21. 22. 23.  
2. 24. 25. 26. **XIX.** 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.  
in omnibus rebus, nulla proorsus  
excepta, diversis modis depin-  
gitur ex sententia Poiretti. **XIX.**  
en. 34. 35. malum sensibili be. 36. 37.  
- etiam in verbis etenim **V.** 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.  
- etiam in **Verba.**

**Non sunt considerationis Logicæ**  
- Nov. 27. seqq. in quantum definitio-  
- in verborum necessaria. V. 36. 37.  
- in quatuorplexilla VIII. 23. cum rebus  
- verba male miscentur XVIII. 18.  
- 19. 20. nec ad Logicam pertinent  
**XVIII.** 43. 44.

### RECESSUS.

- est Logicae finis I. 22. 23. epis. indeoles  
&c.


& explicatio prolixior III. i. seqq.  
iisdem modis illa invenitur & au-  
getur III. 97. in quantum illa o-  
diosa IV. 28. seqq. datur etiam in  
prima mentis operatione V. 22.  
veritas Syllogismorum XIII. i. sq.  
diversa circa eam disputandi ra-  
tio XVI. 2. 3. 4. est disputationum  
finis XVI. 22. seqq.

*Vix.*

veritatem impedire ac errores tueri  
solet IV. 22. 23. 24.



17. **IV** **Kein**  
18. **IV** **Kein**  
19. **IV** **Kein**











XX XII.83

